(b) Sic est in Flor. editione, sed Γάλωγς scribi debuit,  
ut est in *Basil. lib. 45. tit. 3. c. 4.* & in glossario, & apud  
Festum.

Ulp. 50. 16. 19. quod Græci συναλλαγμα vocant.  
 Gajus 50. 16. 30. 2. quam Græci νέκην vocant.  
 Ulp. 50. 16. 38. quæ Græci φαντάσματα vocant.  
 Paul. 50. 16. 144. quam παλλακίην Græci vocant.  
 Ulp. 50. 16. 177. quam Græci σορίτην appella-  
 verunt.  
 Paul. 50. 16. 205. quas Græci τρωξίμους appel-  
 larent.  
 Gajus 50. 16. 233. 2. apud Græcos quidem pro-  
 prio nomine τοξευμα vocatur.  
 Idem 50. 16. 236. 1. ut Javolenus ait, exemplo  
 Græci fermonis, apud quos &c.  
 Pompon. 50. 16. 239. 2. quem Græci πάροικον  
 appellant. Ibid. 4. Advena est, quem Græci  
 ἀποικον appellant.  
 Julian. 50. 17. 65. quam Græci σορίτην appellant.

HIERAPOLITANUS.

Ulp. 43. 20. 1. 8. constat enim, apud Hierapoli-  
 tanos in Asia agrum aqua calida rigari.  
 Callistr. 48. 19. 26. idque Divi fratres Hierapo-  
 litanis rescripserunt.

ILIENSIS.

Callistr. 27. 1. 17. 1. Iliensibus & propter incly-  
 tam nobilitatem civitatis, & propter conjun-  
 ctionem originis Romanæ, jam antiquitus &c.  
 immunitas tributa est. Ibid. ut etiam tutelæ  
 excusationem habeant: scilicet eorum pupillo-  
 rum, qui Ilienses non sint.  
 Ulp. 50. 1. 1. ut puta Iliensibus concessum est,  
 ut qui matre Iliensi est, sit eorum municeps.

ITALICENSIS.

Callistr. 48. 19. 27. Vetinæ quoque Italicensi  
 rescripserunt.

JUDÆUS. ΙΟΥΔΑΙΟΣ.

Modest. 27. 1. 15. καὶ οἱ Ἰουδαῖοι τῶν μὴ Ἰουδα-  
 ῖων ἐπιτροπεύουσιν.  
 Idem 48. 8. 11. Circumcidere Judæis filios suos  
 tantum rescripto Divi Pii permittitur.

LACEDÆMONIUS.

Ulpian. 36. 1. 22. Brasidas quidam Lacedæmo-  
 nius vir prætorius &c. eos emancipaverat.

LICITANUS. (a)

Paul. 50. 15. 8. idem jus Valentini, & Licitani  
 habent.

LUGDUNENSIS.

Modest. 27. 1. 15. 3. Imperator Hadrianus

Bitrasio Pollioni legato Lygdonensi. Si Clo-  
 dius Macer &c.  
 Paul. 50. 15. 8. Lugdonenses Galli, item Bie-  
 nenses in Narbonensi juris Italici sunt.

LUSITANUS.

Paul. 3. 5. 21. Nam & Servius respondit &c.  
 cum a Lusitanis tres capti essent &c.

MILESIUS.

Tryphonin. 48. 19. 39. Cicero in oratione pro  
 Cluentio Avito scripsit, Milesiam quandam  
 mulierem, cum esset in Asia &c. rei capitalis  
 esse damnatam.

MINTURNENSIS.

Ulp. 8. 5. 8. 4. dicit igitur Aristo, eum, qui  
 tabernam caliarum a Minturnensibus condu-  
 xit, Ibid. sed Minturnenses ei ex conducto  
 teneri.

NICOMEDIENSIS.

Callistr. 50. 2. 11. principes nostri, consulti de  
 allegandis in ordine Nicomediensium hujus æta-  
 tis hominibus, rescripserunt.  
 Idem 50. 9. 5. Divus Hadrianus Nicomediensibus  
 rescripsit.

NUMANTINUS.

Pompon. 50. 7. 17. quæsitum est in Hostilio  
 Mancino, quem Numantini sibi deditum non  
 acceperunt.

PACENSIS.

Paul. 50. 15. 8. In Lytania Pacenses, & Eme-  
 ritenses juris Italici sunt.

PARTHUS. (b)

Papinian. 12. 1. 37. si rex Parthorum vivit.  
 Ulp. 28. 7. 10. 1. Si rex Parthorum vivit.  
 Idem 49. 15. 24. ab hostibus autem captus, ut  
 puta a Germanis, & Parthis, & servus est  
 hostium.

PHILIPPENSIS.

Papirius 2. 14. 37. cum Philippensibus remissæ  
 essent.  
 Paul. 50. 15. 8. in provincia Macedonia Dyr-  
 rhacheni, Cassaldrenses, Philippenses, Dieneses,  
 Stovenfes juris Italici sunt.

OOO 2

PON-

Πέρσας ἐπιπύνη bis dicitur, quod in Latina de Par-  
 thico bello, Sic Persarum nomen pro Parthis accipitur,  
 & contra.

(a) Sic est in Pand. Flor. sed malo Ilicitanus, sive Il-  
 licitanus, ut apud Melam, & alios.

(b) In constit. Græca initio Digestorum posita πρὸς

## PONTICUS.

Ulp. 50. 1. 1. Celsus etiam refert, Ponticis ex beneficio Pompeii Magni competere, ut qui Pontica matre natus esset, Ponticus esset.

## PUTEOLANUS.

Ulp. 50. 1. 1. municipes dicemus suæ cujusque civitatis cives: ut puta Campanos, Puteolanos. Qui ex duobus igitur Campanis parentibus natus est, Campanus est. Sed si ex patre Campano, matre Puteolana, æque municeps Campanus est.

## QUIRITES. (a)

Ulp. 6. 1. 1. ait enim (Pomponius) adjecta causa ex lege Quiritium vindicare posse.

ROMANUS. (b) ΡΩΜΑΙΟΣ.  
ΡΩΜΑΙΚΟΣ.

Pompon. 1. 2. 2. 1. iterumque coepit populus Romanus incerto magis jure, & consuetudine ali, quam per latam legem. Ibid. 8. neve possent in caput civis Romani animadvertere injussu populi. Ibid. 12. Et quia, ut diximus, de capite civis Romani injussu populi non erat lege permissum Consulibus jus dicere. Ibid. 18. quem populus Romanus Σόφοῦν appellavit. Ibid. 22. statuam ei populus Romanus pro rostris posuit.

Ulp. 1. 5. 17. In orbe Romano qui sunt, ex constitutione Imperatoris Antonini cives Romani effecti sunt.

Idem 19. civem Romanum parit, & in potestate patris.

Gajus 1. 6. 1. qui sub imperio Romano sunt.

Idem 3. quod jus proprium Civium Romanorum est.

Ulp. 4. nam civium Romanorum quidam sunt patres familiarum &c.

Marcian. 1. 8. 8. sunt autem sagmina quædam herbæ, quas legati populi Romani ferre solent, ne quis eos violaret.

Pompon. 1. 8. 11. nam cives Romanos alia, quam per portas egredi non licet.

Ulp. 1. 14. 3. cum etiam potuit populus Romanus fero decernere hanc potestatem.

Idem 4. 2. 3. Cæterum si per injuriam quid fecit populi Romani magistratus &c.

Hermogenian. 5. 1. 53. Item arctioris annonæ populi Romani &c.

Ulp. 82. Nonnumquam solent magistratus populi Romani &c.

Idem 11. 1. 4. 1. sic accipiendum est, apud magistratus populi Romani.

Paul. 24. 2. 9. Nullum divortium ratum est, nisi septem civibus Romanis puberibus adhibitis.

Modestin. 26. 5. 20. Ventri tutor a magistratibus populi Romani dari non potest.

Idem 27. 1. 10. ἀλλὰ καὶ οἱ ὅπως ἔν χρείας δημοσίου δήμα Ρωμαίων ἕνεκα ἀποδημήσαντες ἐν αὐτῷ ἔχουσιν ἀνάπαυσιν.

Ulp. 28. 5. 6. 2. civis Romanus &c. factus peregrinus, mox ad civitatem Romanam pervenit. Celsus 28. 5. 59. 4. Si heres institutus scribendi testamenti tempore civis Romanus fuit.

Julian. 29. 1. 20. ideo communi jure civium Romanorum codicilli ejus æstimandi sunt.

Paul. 29. 2. 33. Quod si dubitet, apud hostes decessit, an civis Romanus.

Idem 35. 2. 1. Qui cives Romani sunt. Ibid. Quicumque civis Romanus post hanc legem rogatum testamentum faciet, is quantam cuique civi Romano pecuniam jure publico dare, legare volet, jus, potestasque est.

Idem 36. 1. 26. quæ sub imperio populi Romani sunt.

Modestin. 38. 10. 4. 2. Cognationis substantia bifariam apud Romanos intelligitur.

Paul. 38. 10. 10. 2. Parentes usque ad tritavum apud Romanos proprio vocabulo nominantur.

Ulp. 38. 16. 3. 1. quem quis ex servitute ad civitatem Romanam perduxit. Ibid. efficietur quidem civis Romanus.

Idem 38. 17. 1. 4. Filio, qui mortis tempore matris civis Romanus fuit &c.

Idem 40. 5. 24. 2. indignum esse, civem Romanum fieri hostium servum.

Gajus 41. 3. 9. Usucapionem recipiunt maxime res corporales, exceptis rebus sacris, sanctis, publicis populi Romani.

Ulp. 42. 1. 15. Magistratus populi Romani ut judicum a sedatorum, vel arbitratorum sententiam exsequantur.

Cels. 43. 8. 3. Litora, in quæ populus Romanus imperium habet, populi Romani esse arbitratorum.

Venul. Saturn. 48. 2. 12. Hos accusare non licet &c. item magistratum populi Romani.

Ulp. 48. 4. 1. consilium initum erit, quo quis magistratus populi Romani &c. occidatur. Ibid. quive hostibus populi Romani nuntium, literasve miserit. Ibid. quo hostes populi Romani consilio juventur. Ibid. quod adversus populum Romanum &c. committitur. Ibid. consilium &c. (ut supra).

Marcian. 48. 4. 3. quive imperium, exercitumve populi Romani deseruerit.

Scæv. 4. cujusve dolo malo exercitus populi Romani in insidias deductus, hostibusve proditus erit. Ibid. quominus hostes in potestate populi Romani veniant, cujusve opera dolo malo hostes populi Romani &c. aduti erunt: utve ex amicis hostes populi Romani fiant. Ibid. quo rex exteræ nationis populo Romano minus obtemperet. Ibid. quo magis obsides, pecunia, jumenta hostibus populi Romani dentur.

Ulp.

(a) De nudo jure Quiritium tollendo, vide lib. 7. Cod. Just.  
(b) Adde constit. Deo auctore, & const. Tanta, & const.

Omnes, quæ positæ sunt initio Digestor. & lib. 1. Codicis Justin.

Ulp. 48. 6. 7. qui &c. civem Romanum adversus provocationem necaverit.

Modestini. 48. 19. 31. ut digne populo Romano exhiberi possint.

Idem 49. 3. 3. Dato iudice a magistratibus populi Romani &c. ipsi tamen magistratus appellabuntur.

Marcian. 49. 14. 32. Sed si accepto usu togæ Romanæ ut cives Romani semper egerint. Ibid. si a legitimis civibus Romanis heredes instituti fuissent.

Modestini. 49. 15. 4. An qui hostibus deditus &c. civis Romanus sit.

Pompon. 49. 15. 5. 2. ut maneret civis Romanus.

Tryphonin. 49. 15. 12. quia spem revertendi civibus in virtute bellica magis, quam in pace Romani esse voluerunt. Ibid. 49. 15. 12. 5. civem Romanum dominum habui.

Paul. 49. 15. 19. 4. quia disciplina castrorum antiquior fuit parentibus Romanis, quam caritas liberorum.

Ulp. 49. 15. 24. Hostes sunt, quibus bellum publice populus Romanus decrevit, vel ipsi populo Romano.

Scæv. 50. 5. 3. & ad annonam populi Romani præfuerint.

Callistr. 50. 6. 5. 6. ἦσαν καὶ ἄλλοι τινες ἐπὶ προφάσει τῶν ναυκληρῶν, καὶ τὸν σιτὸν, καὶ ἔλαιον ἐμπορευομένων εἰς ἡν ἀγορὰν τῆ δῆμα τῆ Ρωμαϊκῆ ὄντων ἀτελεῶν.

Pompon. 50. 7. 17. quæsitum est, an civis Romanus maneret. Ibid. ut esset civis Romanus.

Ulp. 50. 15. 1. fœderis, quod cum Romanis percussit, tenacissima. Ibid. ob egregiam in rempublicam, imperiumque Romanum insignem fidem, jus Italicum dedit.

Idem 50. 16. 15. sola enim ea publica sunt, quæ populi Romani sunt.

Gajus 16. Eum, qui vectigal populi Romani conductum habet, publicanum appellamus: (nam) publica appellatio in compluribus causis ad populum Romanum respicit.

## SARMATIA.

Ulp. 34. 2. 25. Argumento sunt etiam nationes quædam, veluti Sarmatarum, quæ pellibus teguntur.

## STOVENSIS.

Paul. 50. 15. 8. in provincia Macedonia Dyrrha-

(a) De colonis Thracensibus vide lib. XI. Cod. Justin. De Prætoribus Thraciæ Nov. 26.

[b] Ante hunc posset Vandalica gens scribi, ex const. Tanta: sed in Græca est Βανδύλων. Justinianus quoque se Vandalicum appellabat, quod Vandalos in Africa deleverit.

(c) Licet omnium nominum origines invenire difficile sit: eorum vero multo difficilior, quæ hominum arbitrio, vel potius libidine imponuntur, cuiusmodi hæc sunt: A-liquorum tamen origines dicam, ex quibus lectoribus excitabitur alias inveniendi cupiditas. Æbutianum prædium, Cassianum, Cornelianum, Gabinianum, Julianum, Livianum, Lutatianum, Mævianum, Nonianum, Potitianum,

cheni, Cassaldrenses, Philippenses, Dieneses, Stovenfes juris Italici sunt.

## THESSALUS. ΘΕΣΣΑΛΟΣ.

Marcian. 48. 6. 5. 1. Divus Pius τῷ κοινῷ τῶν Θεσσαλῶν Græce rescriptit.

Callistr. 5. 1. 37. Divus Hadrianus τῷ κοινῷ τῶν Θεσσαλῶν Græce rescriptit.

## THRAX. (a) ΘΡΑΞ.

Ulp. 49. 1. 1. 1. extat rescriptum Divi Pii πρὸς τὸ κοινὸν τῶν Θράκων.

## TIBURS.

Scæv. 32. 35. 3. Tiburtibus municipibus meis, amantissimisque: scitis balineum Julianum junctum domui meæ &c. præbeat gratias.

## TUSCULANUS.

Scæv. 32. 38. 5. nec condicio exstitit dati fidei commissi Tusculanis.

## VALENTINUS.

Paul. 50. 15. 8. idem jus Valentini, & Licitani habent.

## VIENNENSIS. [b]

Paul. 50. 15. 8. Lugdonenses Galli, item Bienenfes in Narbonensi juris Italici sunt.

## FAMILIÆ NOMEN.

## JULIA.

Ulp. 50. 16. 195. 1. Sicuti dicimus familiam Julianam quasi a fonte quodam memoriam.

## PRÆDIORUM, FUNDORUM, AGRORUM, VILLARUM, ET POSSESSIONUM NOMINA. [c]

## ÆBUTIANUM.

Scæv. 33. 2. 38. Fundi Æbutiani reditus uxori meæ, quoad vivat, dari volo.

## AL-

Rutilianum, Sejanum, Sempronianum, Titianum, Trebatianum, a nominibus gentium Romanarum sunt: sive quia ea testamento ab aliquo ejus gentis relicta sunt, sive quia ab eis personis acquisita sunt, sive quia ita appellare placuit quacumque ex causa, vel ratione. Gentis, vel familiarum nomina sunt Æbutia, Cassia, Cornelia, Gabinia, &c. Tribus enim extremis litteris amotis *num*, id nomen efficitur. Ex his aliqua ficta esse possunt, ut Cornelianum, Mævianum, Sejanum, Sempronianum, Titianum, a Cornelio, Mævio, Sejo, Sempronio, Titio, de quibus supra diximus. A cognominibus pauca sunt deducta nomina, ut Cæsarianum a Cæsare, Sossianum a Sossia, Speratianum a Sperato. Fieri tamen potest, ut aliqui fue-

## ALBANUM.

Ulp. 30. 39. 6. vel fundum Albanum &c. legaverit quis.

## BOTROJANUM.

Ulp. 8. 4. 13. Venditor fundi Geroniani, fundo Botrajano, quem retinebat, legem dederat.

## CÆSARIANUM.

Callistr. 1. 19. 3. adversus colonos Cæsaris prohibuerint in prædia Cæsariana accedere.

## CAPANIANUM.

Ulp. 32. 78. 3. Peto, ut fundum meum Capanianum Genesizæ alumnae meae adscribatis.

## CAPERLATHA.

Modest. 34. 3. 20. & libero ex pignoribus ejus domum, & possessionem Caperlatham.

## CASSIANUM.

Scæv. 33. 7. 27. 4. Sempronio fratri meo hoc amplius fundos meos &c. Cassianum, Nonianum,

## COLONE. ΚΟΛΩΝΗ.

Scæv. 34. 4. 30. 1. in quibus & σύγκτησιν prædiorum, quæ appellabatur circa Colone. Ibid. βέλομαι αὐτῇ δοῦναι τὴν σύγκτησιν, τὴν περὶ Κολώνην. Ibid. cum Seja &c. σύγκτησιν circa Colonen eligat. Ibid. respondit translatum videri fideicommissum prædiorum, id est συγκτησιν, quæ est circa Colonen, in Sejam libertam.

## COMIANA. ΚΟΜΙΑΝΗ.

Modest. 31. 34. 1. βέλομαι αὐτόνκαρ' ἑαυτῶ λαβεῖν σύγκτησιν ἀγωνόφορον Κομιάνην.

## CORNELIANUM.

Ulp. 7. 1. 20. fructus annuos fundi Corneliani Gajo Mævio do, lego.

African. 7. 1. 36. 1. Stipulatus sum de Titio fundum Cornelianum.

Idem 23. 3. 50. cum fundum Cornelianum pignoris causa tibi tradidiffem. Ibid. ut Cornelianum mihi restitueres. Ibid. ad recipiendum Cornelianum agere possim.

Idem 23. 5. 9. ut si Cornelianum, aut Sempro-

fuerint Speratii dicti, vel Sosii, atque etiam Cæsarii. Certum tamen est, prædia Cæsariana prædia Cæsaris dici. 1. 19. 3. A locis nomina deducuntur, ut Albanum ab Alba, quæ Metropolis fuit Romanorum, utpote cum Ro-

nianum fundum debenti, id quod debet, doti promissum sit.

Paul. 26. 7. 46. Lucius Titius curator Gaii Seii tempore curæ fundum Cornelianum locavit Sempronio.

Ulp. 28. 5. 9. 4. Si duo sint heredes instituti, unus ex parte tertia fundi Corneliani.

Idem 30. 4. 1. Si quis in fundi vocabulo erravit, & Cornelianum pro Semproniano nominavit: debebitur Sempronianus.

Idem 30. 39. 5. legasset fundum Cornelianum. Paul. 30. 72. Si quis legaverit fundum Cornelianum.

Julian. 30. 84. 9. Fundum Cornelianum, & mancipia &c. heres meus Titio dato.

Scæv. 32. 38. 1. Fundum Cornelianum de nomine meorum exire veto.

Javolen. 33. 2. 41. Fructus annuos fundi Corneliani Publio Mævio do, lego.

Papinian. 33. 4. 9. Uxori meæ fundum Cornelianum &c. restitui volo.

Scæv. 33. 7. 27. 1. Fundum Cornelianum Titio &c. dari volo.

Javolen. 35. 1. 40. 4. Fundum Cornelianum, quem illa mihi doti dedit, ei heres dato. Ibid. cum fundus Cornelianus in rerum natura sit.

Julian. 35. 2. 87. ut Titio fundum Cornelianum quinquaginta venderem. Ibid. qui damnatus est fundum Cornelianum vendere. Ibid. partem Corneliani fundi hereditario jure retinet.

Ulp. 41. 2. 34. si me in vacuum possessionem fundi Corneliani miseris. Ibid. & in Cornelianum iero.

Julian. 41. 4. 7. 1. si fundum Cornelianum pro emptore longa possessione capiam.

Ulp. 45. 3. 7. 1. servitutem ad fundum Cornelianum stipulatus est.

Papinian. 46. 2. 28. Fundum Cornelianum stipulatus, quanti fundus est, postea stipulor.

## FARRARIORUM.

Scæv. 7. 1. 58. 1. quæ habeo in agro Farrariorum.

## GAAS.

Scæv. 32. 35. 1. prædium, quod vocatur Gaas, finibus Galatiæ.

## GABINIANUM.

Papinian. 32. 91. 3. cum essent (prædia) Gabiniana quoque simul uno pretio comparata. Ibid. an &c. Gabiniana quoque continentur.

## GARGILIANUM.

Scæv. 32. 41. 3. fundum Gargilianum legavit cum casa. Ibid. cum fundus Gargilianus testatrici a marito &c. legatus sit.

## GA-

mulus, & Remus inde coloniam deduxerint: Sutrinum a Sutrio dictum, unde proverbium ortum est, ut qui eunt Sutrium, cibum secum ferant: & Tusculanum a Tusculo, unde Tusculanæ quæstiones Ciceroni.

GAZA. ΓΑΖΑ.

Modest. 31. 34. 1. βάλωμαι ἀντήνταρ' ἑαυτῆς λαβεῖν χωρίον Γάζαν.

GERONIANUM.

Ulp. 8. 4. 13. Venditor fundi Geroniani fundo Botroiano, quem retinebat, legem dederat.

GRÆCIANUM.

Scæv. 33. 7. 20. 7. Tyrannæ forori meæ fundum meum Græcianum &c. relinquo. Ibid. si prata fundo Græciano ita conjunxisset.

JULIANUM.

Scæv. 32. 38. 8. Peto, uti velis coheredem tibi recipere in fundo Juliano meo. & 32. 93. 4.

LIVIANUM.

Ulp. 28. 5. 35. pone, duos esse heredes institutos: unum ex fundo Cornelianæ, alterum ex fundo Libiano.

LUTATIANUM.

Paul. 33. 1. 12. Præstari autem volo ex prædiis Potitianis prædiis Lutatianis annua. Ibid. cui prædia Lutatiana legata sunt.

MÆVIANUM.

Paul. 21. 2. 73. Seja fundos Mævianum, & Sejanum, & cæteros doti dedit.  
Papinian. 34. 5. 1. Fundum Mævianum, aut Sejanum Titio legaverat: cum universa possessio plurium prædiorum sub appellatione fundi Mæviani rationibus demonstraretur. Ibid. si fundi Sejani pretium a fundi Mæviani pretio non magna pecunia distingueretur.

NACLENORUM. ΝΑΚΛΗΝΩΝ.

Modest. 31. 34. 7. Ω βούλωμαι δοθῆναι εἰς βίαν χρησίν καὶ ἐπιταρπίαν μετοχὴν κώμης Νακληνῶν.

NONIANUM.

Scæv. 33. 7. 27. 4. Sempronio fratri meo hoc amplius fundos meos &c. Cassianum, Nonianum &c.

POTITIANUM.

Paul. 33. 1. 12. Præstari autem volo ex prædiis Potitianis Prædiis Lutatianis annua.

RUTILIANUM.

Paul. 4. 4. 38. Æmilius Larianus ab Obinio

fundum Rutilianum lege commissoria emerat.

SATRIANUM.

Scæv. 32. 35. 2. Fundum Trebatianum, qui est in regione Atellata: item fundum Satrianum, qui est in regione Niphana, cum taberna dari volo. Ibid. fit quidem fundus vocabulo Satrianus, in regione tamen Niphana non fit. Ibid. si nullus esset Satrianus in regione Niphana.

SEJANUM.

Pompon. 8. 3. 20. 2. Si fundo Sejano confinis fons fuerit, ex quo fonte per fundum Sejanum aquam jure ducebam: meo facto fundo Sejanum manet fervitus.

African. 8. 3. 33. Cum essent mihi, & tibi fundi duo communes, Titianus, & Sejanus: & in divisione convenisset, ut mihi Titianus, tibi Sejanus cederet.

Paul. 21. 2. 73. Seja fundos Mævianum, & Sejanum, & cæteros doti dedit.

Ulp. 30. 34. 7. fundum Sejanum, vel usumfructum ejus sibi habeto.

Marcell. 31. 23. Lucio Titio fundum Sejanum, vel usumfructum fundi Sejani lego.

Paul. 31. 86. 1. in his & fundum Sejanum legavit. Ibid. superiorem partem Sejanum superiorem, inferiorem autem partem Sejanum inferiorem appellaret. Ibid. si testator fundum Sejanum uno nomine universon possedit.

Ulp. 32. 68. Testatorem adiiciendo prædium Sejanum omne, eam quoque partem &c. videri per fideicommissum reliquisse &c.

Papinian. 32. 91. 3. Titio Sejana prædia &c. do, lego: cum essent Gabiniana quoque simul uno pretio comparata. Ibid. an litteris, & rationibus appellatione Sejanorum Gabiniana quoque continentur: & utriusque possessionis confusi reditus titulo Sejanorum accepto lati essent.

Paul. 33. 7. 18. 4. Item cum fundus ita legatus esset, Mævio fundum Sejanum &c.

Scæv. 33. 7. 27. 3. Septicia forori meæ fundi paterni mei Sejani partem dari volo.

Papinian. 34. 5. 1. Fundum Mævianum, aut Sejanum Titio legaverat. Ibid. si fundi Sejani pretium a fundi Mæviani pretio non magna pecunia distingueretur.

Julian. 34. 5. 13. 1. Fundum Sejanum heres meus Attio &c. dato.

Javolen. 35. 1. 40. 1. impensam, quam in fundum Sejanum feci. Ibid. heres meus Publio Cornelio fundum Sejanum dato.

Julian. 35. 2. 87. ut mihi fundum Sejanum quinquaginta venderet. Ibid. Sejani fundi partem hereditario jure habet: item qui damnatus est Sejanum fundum vendere.

SEMPRONIANUM.

Julian. 8. 3. 27. Si communi fundo meo, & tuo ferviat fundus Sempronianus.

Ulp. 18. 1. 9. Si igitur ego me fundum emere pu-

- putarem Cornelianum, tu mihi te vendere Sempronianum putasti.
- Scæv. 19. 1. 48. Fundus Sempronianus, quidquid Sempronii juris fuit, erit tibi emptus tot nummis.
- Julian. 23. 3. 46. 2. Quod mihi debes, aut fundus Sempronianus doti tibi erit.
- African. 23. 5. 9. ut si Cornelianum, aut Sempronianum fundum debenti, id quod debet, doti promissum sit.
- Ulp. 30. 4. Si quis in fundi vocabulo erravit, & Cornelianum pro Semproniano nominavit: debetur Sempronianus.
- Idem 32. 78. 1. contentus esse debes fundo Semproniano. Ibid. quidquid in prædio Semproniano habeo.
- Julian. 33. 6. 5. quod in fundo Semproniano natum esset.
- Scæv. 33. 7. 27. 2. Pamphile liberte præcipito, tibi que habeto fundum Titianum, & agellum Sempronianum.
- Ulp. 41. 2. 34. ego putarem me in fundum Sempronianum missum.
- African. 44. 1. 16. & dico præterea, viam ad eum per fundum Sempronianum &c. deberi.
- Julian. 45. 1. 56. 6. Si a te stipulatus fuero fundum Sempronianum.

## S O S I A N U M.

- Scæv. 35. 1. 108. libertis meis dari volo fundum Sofianum.

## S P E R A T I A N U M.

- Scæv. 33. 1. 19. A te, Mævi, ex reditu fundi Speratiani præstari volo Arrio Pamphilo &c.

## S U T R I N U M.

- Paul. 8. 3. 35. Hi, qui ex fundo Sutрино aquam ducere soliti sunt.

## T I T I A N U M.

- African. 8. 3. 33. Cum essent mihi, & tibi fundo duo communes, Titianus, & Sejanus, & in divisione convenisset, ut mihi Titianus, tibi Sejanus cederet.
- Idem 23. 3. 50. fundum Titianum in hoc tibi tradiderim.
- Pompon. 30. 24. 2. fundo Titiano legato partem aliquam adjecerit, quam fundi Titiani destinaret. Ibid. ex fundo Titiano aliquid de-

trahit. Ibid. quasi fundi Titiani esse desierit.

Scæv. 32. 38. 3. Fundum Titianum ad fiscum pertinere: ita enim fiet, ut fundus Titianus de nomine vestro numquam exeat.

Idem 32. 41. ne ex fundo Titiano partem tibi vindices.

Ulp. 33. 4. 1. 2. Si quis uxori fundum Titianum his verbis legasset.

Scæv. 33. 7. 20. 6. Pamphilæ libertæ meæ dari volo fundum Titianum.

Idem 33. 7. 27. 2. Pamphile liberte præcipito, tibi que habeto fundum Titianum, & agellum Sempronianum.

African. 44. 1. 16. Fundum Titianum possides. Ibid. prius probaverim, fundum Titianum meum esse.

Paul. 44. 1. 17. deinde fundum Titianum petat.

Idem 45. 1. 85. si fundus Titianus datus non erit.

Ulp. 46. 4. 13. 1. si usufructus sit in stipulatum deductus, puta fundi Titiani.

## T R E B A T I A N U M.

- Scæv. 32. 35. 2. Fundum Trebatianum, qui est in regione Atellata: item fundum Satrianum, qui est in regione Niphana, cum taberna dari volo.

## T U S C U L A N U M.

Paul. 7. 1. 50. Titius Mævio fundum Tusculanum reliqui.

Papinian. 31. 77. Peto a te, filia, ut acceptis &c. centum aureis, & prædio Tusculano &c. Ibid. 31. 77. 11. ne fundum Tusculanum alienent.

Paul. 31. 82. 1. Primus Sejo fundum Tusculanum dato.

Javolen. 34. 2. 39. 1. quod in Tusculano fundo, cum moreretur, habuisset. Ibid. ex urbe in Tusculanum jussu testatoris translatum esset.

Gajus 35. 1. 17. fundum Tusculanum, qui mihi a Sejo donatus est.

Idem 45. 1. 74. ut ecce aurei decem, fundus Tusculanus, homo Stichus, tritici Africi optimi modii centum, vini Campani optimi amphoræ centum.

Ulp. 45. 1. 75. 2. fructus, qui in fundo Tusculano nati erunt. Ibid. 7. Hæc stipulatio fundum Tusculanum dari &c.

## V E S T I G I A N U M.

- Scæv. 33. 2. 32. Felici &c. usumfructum fundi Vestigiani lego.

CAPUT VIII.

ALIORUM NOMINUM

SILVA.

IMPERATORUM COGNOMINA. (a)

CÆSAR.



**M**acer 1. 18. 1. legati Cæsaris &c.  
Papinian. 1. 18. 20. legatus Cæsaris,  
id est, Præses, vel corrector provin-  
ciae &c.

Ulp. 1. 19. 1. Quæ acta, gesta que sunt a pro-  
curatore Cæsaris, sic ab eo comprobantur, at-  
que si a Cæsare gesta sunt. Si rem Cæsaris  
procurator ejus quasi rem propriam tradat &c.  
Ibid. cum negotium Cæsaris gerens consensu  
ipsius tradit. Ibid. non enim alienare ei rem  
Cæsaris, sed diligenter gerere commissum est.  
Est hoc præcipuum in procuratore Cæsaris,  
quod & ejus jussu servus Cæsaris adire here-  
ditatem potest: & si Cæsar heres instituitur,  
miscendo se opulentæ hereditati procurator,  
heredem Cæsarem facit.

Callistr. 1. 19. 3. Curatores Cæsaris jus depor-  
tandi non habent. Ibid. adversus colonos Cæ-  
saris prohibuerint in prædia Cæsariana accedere.

Papinian. 1. 22. 4. Diem functo legato Cæsaris &c.

Ulp. 2. 15. 8. 11. apud procuratorem Cæsaris  
feri possunt.

Idem 4. 4. 9. adversus sententiam Præsidis, vel  
procuratoris Cæsaris &c.

Paul. 4. 6. 35. Item procurator Cæsaris non so-  
lum &c.

Scæv. 11. 1. 22. Procuratore Cæsaris ob debi-  
tum fiscale interrogante, unus ex filiis &c.  
respondit se heredem esse.

Ulp. 11. 4. 3. Sed & Divus Marcus &c. facul-  
tatem dedit ingrediendi tam Cæsaris, quam se-  
natorum, & paganorum prædia.

Idem 13. 7. 24. si impetrasset creditor a Cæsare.

Marcian. 18. 1. 46. & hoc ad procuratorem quo-  
que Cæsaris pertinet.

Ulp. 19. 2. 15. 5. rescriptum est ab Antonino  
Augusto, non immerito procuratorem Cæsa-  
ris ab eo vecturam repetere.

Idem 19. 2. 19. 9. Papinianus &c. scripsit, diem  
functo legato Cæsaris, salarium comitibus re-  
sidui temporis præstandum.

Modest. 19. 2. 49. *μισθῶται Καίσαρ ὅτι γενέσθαι κω-  
λύονται. Ibid. προσέβη τῆ μισθῶσει τῶν τῶ Καί-  
σαρ ὅτι χωρίων.*

Tom. I.

(a) Imperatorum certorum nomina & cognomina per-  
secuti sumus cap. 3. Hoc loco de Cæsaris, & Augusti cogno-  
mine agitur, cum cognominis vim non habet, sed pro di-

Scæv. 20. 4. 21. 1. idem debitor conductor hor-  
reorum Cæsaris fuit.

Ulp. 21. 1. 17. 10. qui ad statuam Cæsaris confugit.

Scæv. 26. 8. 21. acta facta sunt apud procura-  
torem Cæsaris infra scripta. Priscus procurator  
Cæsaris dixit, faciat judicata. Ibid. Priscus  
procurator Cæsaris dixit, responsum habes.

Ulp. 29. 2. 25. 1. jussu procuratoris Cæsaris  
adibit hereditatem.

Idem 30. 39. 6. sed & ea prædia Cæsaris &c.  
si legentur.

Marcian. 34. 8. 3. nam poenæ servus est, non  
Cæsaris.

Gajus 40. 2. 7. aut ludorum gratia prodierit præ-  
tor, aut proconsul, legatusve Cæsaris.

Marcian. 47. 22. 3. nisi ex senatusconsulti aucto-  
ritate, vel Cæsaris, collegium &c. coierit.

Idem 48. 4. 5. qui statuas Cæsaris vetustate cor-  
ruptas reficit. Ibid. rescripserunt, non videri  
contra majestatem fieri ob imagines Cæsaris  
nondum consecratas venditas.

Idem 48. 19. 17. pro non scriptis, est, quasi  
non Cæsaris servo datum, sed poenæ.

Callistr. 48. 19. 28. 5. qui imaginem Cæsaris  
in invidiam alterius prætulisset.

Macer 49. 1. 4. si tamen is interpretandi pote-  
statem habuit, velut præses provinciæ, aut  
procurator Cæsaris.

Papinian. 49. 1. 23. 1. Cum procurator Cæsa-  
ris &c. jus dandi judicis non habuisset.

Callistr. 49. 14. 3. 8. si in Cæsaris possessione  
reperitus fuerit.

Ulp. 49. 14. 5. Si curator Cæsaris rem aliquam  
vendiderit.

Idem 49. 14. 6. 1. hoc idem & Cæsaris ratio,  
& Augustæ habere solet.

Marcian. 49. 14. 22. non debent a procurato-  
re Cæsaris distrahi.

Idem 30. Ne procuratores Cæsaris bonorum  
actores &c. alienent, Imperatores Severus, &  
Antoninus rescripserunt.

Hermogenian. 49. 14. 46. 6. Servus Cæsaris, si  
jussu procuratoris adit hereditatem, Cæsari  
volenti acquirit.

Paul. 49. 14. 47. 1. conveniebatur a procura-  
toribus Cæsaris.

Idem 50. 5. 12. 1. Comites præsidum, & pro-  
consulum, procuratorumve Cæsaris a mune-  
ribus, vel honoribus, & tutelis vacant.

Callistr. 50. 6. 5. 10. an prohibendi sint a præ-  
sede, vel procuratore Cæsaris. Ibid. 11. Colo-  
ni quoque Cæsaris a muneribus (municipali-  
bus) liberantur.

Cels. 50. 17. 191. quod beneficium dare se qua-  
si viventi Cæsar rescriperat &c.

AUGUSTUS.

Ulp. 30. 39. 6. si vero Salustianos hortos, qui  
sunt Augusti &c. legaverit quis.

Ppp

AU-

gnitatem illam Principis obtinente, quisquis ille fuerit,  
accipitur.



## AUGUSTÆ COGNOMEN.

## AUGUSTA.

- Ulp. 1. 3. 31. Augusta autem licet legibus soluta non est.  
 Jun. Maurician. 31. 57. Si Augustæ legaveris.  
 Ulp. 49. 14. 6. 1. hoc idem & Cæsaris ratio, & Augustæ habere solet.

## SACERDOTIORUM NOMINA. [a]

ASIARCHIA. ΑΣΙΑΡΧΙΑ.  
 BITHYNIARCHIA. ΒΙΘΥΝΙΑΡΧΙΑ.  
 BIONIARCHIA. ΒΙΟΤΝΙΑΡΧΙΑ.  
 CAPPADOCARCHIA. ΚΑΠΠΑΔΟΚΑΡΧΙΑ.

Modest. 27. 1. 6. Εθνικῶν ἱεροσύνη οἷον Ἀσιαρχία Βιθυιαρχία, Καππαδοκία παρέχει ἀλειτεργησίαν.

## MAGISTRATUUM COGNOMINA.

## CEREALES.

Pompon. 1. 2. 2. 17. duos Ædiles, qui frumento præessent, & a Cerere Cereales constituit.

## CISTIBERES.

Pompon. 1. 2. 2. 16. hi, quos Cistiberes diximus, postea Ædiles &c.

## LINGUARUM, SERMONUM, VERBORUM, VOCUM, &amp; LITTERARUM NOMINA.

## ASSYRIA.

Ulp. 45. 1. 1. 5. Sed utrum hoc usque ad Græcum sermonem tantum protrahimus: an vero & ad alium, Pœnum forte, vel Assyrium,

## GALLICANA.

Ulp. 32. 11. fideicommissa quocumque sermone relinqui possunt: non solum Latina, vel Græca; sed etiam Punica, vel Gallicana, vel alterius cuiuscumque gentis.

GRÆCA. (b)  
GRÆCE.

Paul. 2. 13. 7. quod Græci Δεύτερον dicunt. Ibid.

(a) De his diximus lib. sing. ad Modest. Postea editus est plenior Codex Theod. In eo lib. 12. tit. 1. de decurionibus mentio fit horum sacerdotiorum provinciarum multis constitutionibus, & const. 103. Syriarchiæ nomen est, & const. 21. Flamonii honoris, & sacerdotii. & 75. sacer-

quæ Græce dicitur Πάλιν.

Ulp. 14. 3. 5. 1. Idem (Labeo) ait, si libitinaris, quos Græce Νεκροβάπτας vocant.

Idem 14. 3. 11. 2. proscribere palam, sic accipimus, claris litteris &c. Litteris, utrum Græcis, an Latinis?

Idem 29. 1. 1. 1. aut a numero mille hominum ducitum a Græco verbo, tractum a tagmate: nam Græci mille hominum multitudinem Τάγμα appellat.

Idem 32. 11. Fideicommissa quocumque sermone relinqui possunt: non solum Latina, vel Græca; sed etiam Punica, vel Gallicana, vel alterius cuiuscumque gentis.

Papin. 33. 7. 2. 1. quæ Græco vocabulo Εὐθήματα appellantur.

Paul. 38. 10. 10. 1. Nomen cognationis a Græca voce dictum videtur.

Idem 39. 6. 34. 1. rapta a Græco: nam hi dicunt &c.

Ulp. 40. 5. 46. 1. cum quidam Græcis verbis ita fideicommissum dedisset.

Pompon. 41. 3. 30. Græce Ηνωμένον vocatur.

Ulp. 45. 1. 1. 5. respondeatur ei Græce. Ibid. sed utrum hoc usque ad Græcum sermonem tantum protrahimus: an vero & ad alium, Pœnum forte, vel Assyrium.

Idem 46. 1. 8. Græce fidejussor & ita accipitur.

Idem 46. 4. 8. 3. & ideo puto & Græce posse acceptum fieri.

Paul. 47. 2. 1. vel a Græco sermone, qui Φόρως appellant fures.

Ulp. 47. 8. 4. idque verbum ex Græco tractum.

Idem 47. 10. 13. 7. quod Græce Σαγήνην dicitur ducere.

Idem 48. 3. 3. Divus Pius ad epistolam Antiochenis Græce rescripsit, non esse &c.

Marcian. 48. 6. 5. 1. Divus Pius τῶ κοινῶ τῶν Τεσσάλων Græce rescripsit.

Paul. 50. 16. 163. 1. & Græce Παιδίον communiter appellatur.

Gajus 50. 16. 233. 2. Græca voce figuratum Ἀπὸ τῆς τήλης, & hanc significationem invenire possumus & in Græco nomine.

Idem 50. 16. 236. 1. exemplo Græci sermonis, apud quos &c.

LATINA. (c)  
LATINE.

Ulp. 14. 3. 11. 2. Proscribere palam, sic accipimus, claris litteris &c. Litteris, utrum Græcis, an Latinis?

Idem 28. 1. 20. 6. in teste, qui Latine non noverat, rescripsit.

Idem 32. 11. Fideicommissa quocumque sermone relinqui possunt: non solum Latina, vel Græca; sed etiam Punica, vel Gallicana, vel alterius cuiuscumque gentis.

Idem

dotii provinciæ, & const. 113. idem munus archierosyna vocatur. Vide etiam 50. 5. 8. Dig.

(b) Adde constit. Tanta, & const. Omnem, quæ initiis Digestorum scriptæ sunt.

(c) Adde supra scriptam constit. Tanta.

Idem 45. 1. 1. 5. si quis Latine interrogaverit.  
Idem 46. 4. 8. 3. ut Latinis verbi solet.

P Æ N A, vel P U N I C A.

Ulp. 32. 11. Fideicommissa quocumque sermone relinqui possunt: non solum Latina, vel Græca; sed etiam Punica, vel Gallicana, vel alterius cujuscumque gentis.  
Idem 45. 1. 1. 5. Sed utrum hoc usque ad Græcum sermonem tantum protrahimus: an vero & ad alium, Pœnum forte, vel Assyrium.

P A R T I U M U R B I S  
R O M Æ N O M I N A.

CAMPUS MARTIUS. (a)

Pompon. 18. 1. 6. ut est Campus Martius.  
Ulp. 30. 39. 6. Item campum Martium, aut forum Romanum, vel ædem sacram legari non posse constat.

C A P I T O L I U M. (b)

Ulp. 28. 5. 6. si Capitolium intra dies triginta ascenderit.  
Celsus 28. 5. 59. 5. Titius si in Capitolium ascenderit. Ibid. antequam Capitolium ascendat. Ibid. si Capitolium ascenderit.  
Pompon. 28. 5. 67. Tithafus, si in Capitolium ascenderit, heres esto.  
Idem 68. si Titius in Capitolium ascenderit. Ibid. nisi Titius ascendisset in Capitolium.  
Papinian. 28. 7. 28. si in Capitolium ascenderit.  
Julian. 30. 91. 1. Stichus si decem Titio dederit, vel Capitolium ascenderit, liber esto. Ibid. si post aditam hereditatem Capitolium ascenderit.  
African. 30. 108. 3. uter eorum prior Capitolium ascenderit.  
Ulp. 31. 1. si Titius in Capitolium ascenderit.  
Paul. 3. si in Capitolium non ascenderit.  
Ulp. 34. 5. 10. qui primus Capitolium ascenderit.  
Idem 35. 1. 2. si Capitolium ascenderit.  
Idem 7. si in Capitolium non ascenderit.  
Paul. 35. 1. 11. si Capitolium ascenderit.  
Julian. 35. 1. 29. si in Capitolium ascenderit.  
Modestinus. 35. 1. 53. si Mævius Capitolium

ascenderit. Ibid. an Capitolium ascendat.  
Julian. 40. 4. 17. si Capitolium non ascenderit.  
Paul. 18. si in Capitolium non ascendero.  
Pompon. 61. si in Capitolium non ascenderit.  
Ulpian. 40. 5. 46. si Titius Capitolium ascenderit.  
Ulp. 40. 7. 3. 3. si ascendere Capitolium jussum ascendere vetet.  
Paul. 40. 7. 4. 7. si Titius Capitolium ascenderit.  
Pompon. 45. 1. 27. 1. si intra biennium Capitolium non ascenderit.  
Cels. 45. 1. 99. 1. si intra biennium Capitolium non ascenderit, dari.  
Javolen. 45. 1. 108. si quis in Capitolium ascenderit.  
Papinian. 45. 1. 115. si in Capitolium non ascenderit, vel Alexandriam non ieris. Ibid. quamvis Capitolium ascendere, vel Alexandriam pervenire potueris: sed cum certum esse cœperit, te Capitolium ascendere, vel Alexandriam ire non posse.

F O R U M R O M A N U M.

Ulp. 30. 39. 6. Item campum Martium, aut forum Romanum, vel ædem sacram legari non posse constat.

P A L A T I U M.

Paul. 5. 4. 3. Sed & Lælius scribit, se vidisse in Palatio mulierem.

R O S T R A.  
P R O R O S T R I S.  
R O S T R A A U G U S T I.

Pompon. 1. 2. 2. 1. quas in tabulas eboreas perscriptas pro rostris composuerunt.  
Idem 1. 2. 2. 2. statuam ei populus Romanus pro rostris posuit, & hodieque exstat pro rostris Augusti.

S A L L U S T I A N I H O R T I.

Ulp. 30. 39. 6. si vero Salustianos hortos, qui sunt Augusti &c. legaverit quis.

N O M I N U M E X P R O P R I I S  
D E D U C T O R U M S I L V A. (c)

Ppp 2.

A F R I.

(a) De campo Martio urbis Romæ. Vide lib. 14. Cod. Theod.

(b) Desiderantur aliqua in Pand. Florentiæ editis minime notata majori littera, ut solent notari propria nomina. 40. 4. 17: 19: 61: 40. 5. 46.

(c) Horum si quis origines requirat, aut ex personarum, aut ex locorum nominibus inveniet, raro ex aliorum. Personarum sunt Attianus Augustalis, sive Augustanus, Cæsarianus, Julianus, Mævianus, Sejanus, Sempronianus, Titianus: Locorum Africanus, sive Africanus, Arabicus, Babilonicus, Britannicus, Formianus, Gallicanus, Græcus, Indicus, Italicus, Judaicus, Parthicus, Romanus, Syriaticus. Aliunde est Niloticus a Nilo flumine. In illis, quæ a personis ducuntur, sunt quædam ficta, ut Tirianus, Sejanus & alia nonnulla. Sunt quoque partim a familiarum nominibus partim a cognominibus deducta.

Namque Attianus, & Julianus a nominibus sunt Juliae, & Attiæ gentis: Cæsarianus, & Augustalis a cognominibus. In his, quæ a locis ducuntur, sunt quæ a provinciis, ut Africanus, Arabicus: sunt quæ ab urbibus deducuntur, ut Romanus, & Babilonicus. At Formianus a minore oppido est, Formiæ appellato: quod antiquam Læstrygonum sedem Plinius appellat. Dardanarios a Dardanis populis, vel a Dardano aliquo viro suspicor vocatos. Tabiani origo mihi ignota est. Cognomina Justiniani Imperatoris in tribus constitutionibus ante Digesta posita, quæ a gentibus devictis ducta sunt, cum his conjungi possunt. Imp. Cæsar Flavius Justinianus Alamannicus, Gothicus, Francicus, Germanicus, Anticus, Alanicus, Vandalicus, Africanus, Pius, Felix, Inclytus, Victor, ac Triumphator, semper Augustus.

AFRICANUS.  
AFRICUS. (a)

- Celfus 17. 1. 50. 1. Sive cum frumentum deberetur, fidejussor Africum dedit.  
Ulp. 26. 2. 15. si tamen tutor detur rei Africanæ, vel rei Syriaticæ.  
Idem 26. 7. 3. 2. cum duos quis libertos suos tutores dedisset, unum rerum Italicarum, alium rerum Africanarum.  
Gajus 45. 1. 74. ut ecce aurei decem, fundus Tufculanus, homo Stichus, tritici Africi optimi modii centum, vini Campani optimi amphoræ centum.  
Ulp. 45. 1. 75. si quis ita stipulatus sit Tritici Africi boni modios centum: vini Campani boni amphoras centum.

ARABICUS.

- Marcian. 39. 4. 16. 6. fargogalla, onyx Arabicus &c.

ATTIANUS.

- Julian. 28. 6. 32. Titium partem quartam Attianæ partis habiturum. Ibid. hos quintas partes Attianæ partis &c. habituros esse dixit.

AUGUSTALIS.  
AUGUSTANUS. (b)

- Lib. 1. tit. 17. De officio Præfecti Augustalis.  
Ulp. 50. 15. 1. sed & Berytensis colonia in eadem provincia Augusti beneficii gratiosa, & ut Divus Hadrianus &c. ait Augustana colonia.

BABYLONICUS.

- Marcian. 39. 4. 16. 6. opus byssicum, pelles Babylonica, pelles Parthica &c.

BRITANNICUS.

- Javolen. 36. 1. 46. Sejus Saturninus archigubernus ex classe Britanica testamento fiduciarium reliquit heredem.

CÆSARIANUS. (c)

- Callistr. 1. 19. 3. adversus colonos Cæsaris prohiberint in prædia Cæsariana accedere.

(a) Lybicus addi potuit ex constit. *Tanta*, extrema posita initio Digestorum, ubi est, *Præfectis Prætoris Libicis pro Africis, sive Africæ.*

(b) Addi potest Augustus, ex d. const. *Tanta*, in qua scriptum est, *Augustum imploretur remedium, & ex auctoritate Augusta manifestetur.* De officio Præfecti Augustalis, vide lib. 1. *Cod. Justin.* & de conductoribus prædiorum fiscalium, & domus Augustæ: & de privilegiis domus Augustæ, & rei privatæ, lib. 11. *ejusd. Cod.* & lib. 12. *Cod. Theod.*

(c) De Cæsarianis, vide lib. 12. *Cod. Theod.*

(d) In veterum glossis ita scriptum est: Dardanarius

- Ulp. 48. 13. 6. 2. si quis ex metallis Cæsarianis aurum, argentumve furatus fuerit.

DARDANARIUS. [d]

- Paul. 48. 19. 37. In Dardanarios &c. extra ordinem vindicari placuit.

FORMIANUS.

- Marcian. 30. 112. 2. cum fundus cum domo Formiana legatus est.

GALLICANUS.

- Ulp. 30. 4. 1. Quisquis mihi Gallicanarum rerum heres erit. Ibid. ad omnes eos res Gallicanæ pertinent.

GRÆCUS.

- Pompon. 1. 2. 2. 1. per quos peterentur leges a Græcis civitatibus.

INDICUS. (e)

- Marcian. 39. 4. 16. 6. malabathrum, aroma Indicum &c. Ibid. ebur, ferrum Indicum &c. Ibid. chelyniæ, (hopia) Indica, vel adserta &c. Ibid. spadones, Indici leones &c. Ibid. fucus, capilli Indici.

ITALICUS.

- Ulp. 26. 7. 3. 2. cum duos quis libertos suos tutores dedisset, unum rerum Italicarum, alium rerum Africanarum.  
Papinian. 26. 7. 39. 7. rerum Italicarum curatores ut impuberibus constituantur. Ibid. 8. tam Italicarum rerum, quam provincialium administrationes suscepit.  
Scæv. 26. 7. 47. 2. Tutores dati ad res Italicas instrumenta Romæ repperierunt. Ibid. an hæc exactio ad Italicæ rei tutores pertineat. Ibid. 7. Tutor rerum Italicarum &c. ubi rem pupillus habuit, solvit.  
Gajus 28. 1. 8. & quibus terra Italica, & sua provinciâ interdicitur.  
Ulp. 28. 5. 35. Ex facto proponebatur quidam duos heredes scripsisse, unum rerum provincialium, alterum rerum Italicarum. Ibid. qui rerum Italicarum heres scriptus erat. Ibid. 28. 5. 35. 2. alius rerum Italicarum heres fuerit scriptus.

*παντοπώλης, παντομετάβολος, σιτοκάπηλος.* In eisdem *παντοπώλης* est Seplasiarius, & Salgamarius, & *παντοπωλείον* Seplasius. Seplasia Ciceroni in Agraria, & in Pisonem, & Asconio, & Festo platea fuit Capuæ, in qua unguentarii versabantur.

(e) Ante hanc vocem *Illiricus* addi potuit ex constit. *Tanta*, extrema Græca, & Latina, in qua mentio fit Præfecti Prætorio Illirici, Græce *ἐπί τῆς Ἰλλυρίδος.* & de officio Præfectorum Orientis, & Illyrici, vide lib. 1. *Cod. Justin.* & de colonis Illiricanis lib. 11. *eod. Cod.*

ptus. Ibid. si forte in aliis facultatibus plus sit, in Italicis forte, quam in provincialibus. Ibid. 3. Rerum autem Italicarum, vel provincialium significatione quæ res accipiendæ sint. Ibid. hoc intelligendum erit, rerum Italicarum significatione eas contineri. Ibid. ut puta de Italico patrimonio quosdam servos miserat in provinciam. Ibid. dubium non est, quin debeat dici, ad Italicum patrimonium eos pertinere debere. Ibid. ut Italicarum rerum esse credantur. Ibid. 4. dico pecuniam &c. in Italico patrimonio injungendam. Ibid. dicendum est, hanc quoque Italici patrimonii esse rationem. Ibid. cui Italicæ res sunt adscriptæ.

Marcian. 30. 111. Etiam si partis bonorum se excusaverit tutor, puta Italicorum, vel provincialium rerum.

Ulp. 36. 1. 16. 5. Sed & si miles rogaverit quem res Italicæ restituere.

Idem 42. 7. 2. 1. quod si per regiones fuerint constituti curatores, unus forte rei Italicæ, alius in provincia.

Paul. 46. 3. 100. tutores rerum Italicarum administrationem non sustinent. Ibid. Italica negotia administrare non solere.

Ulp. 50. 15. 1. quæ a Divo Severo per belli civilis occasionem Italicæ coloniarum rempublicam accepit.

J U D A I C U S.

Ulp. 50. 2. 3. 2. Eis, qui Judaicam superstitionem sequantur.

J U L I A N U S.

Scæv. 32. 35. 3. Tiburtius municipibus meis, amantissimisque; scitis balineum Julianum junctum domui meæ &c. præbeatur gratis.

M Æ V I A N U S.

Ulp. 18. 4. 2. 12. quidquid venditor Mævianæ hereditatis nomine præstitisset.

Papin. 31. 76. 1. quæ Mævianæ hereditatis fuerunt.

Julian. 36. 1. 27. 7. & partem quartam Mævianæ hereditatis retinebis. Ibid. sed si suspectam Mævianam hereditatem dixeris. Ibid. an alii Titianam rogatus fueris restituere.

Papinian. 36. 1. 55. 3. Mævianam hereditatem &c. & ipse restituere poterit.

N I L O T I C U S. (a)

Ulp. 47. 11. 10. solent aquam Niloticam continere. Ibid. quod hæ arbores colligunt aggeres Niloticos, per quos incrementa Nili dispensantur.

(a) Vidend. Leo lib. 60. Basil. tit. 22. c. 7.  
(b) Post bella Parthica, Justin. const. Tanta, in ipso initio, & in calce ejusd. const. Sed Græce est πρὸς Πέρ-

P A R T I C U S. (b)

Marcian. 39. 4. 16. 6. opus byssicum, pelles Babilonicæ, pelles Parthicæ &c.

R O M A N U S. (c)

Ulp. 1. 1. 1. Publicum jus est, quod ad statum rei Romanæ spectat.

Idem 1. 5. 17. In orbe Romano qui sunt.

Gajus 1. 6. 1. qui sub imperio Romano sunt.

Idem 2. 8. 5. aut civitatem Romanam amiserit.

Paul. 2. 12. 8. More Romano dies a media nocte incipit &c.

Ulp. 6. 1. 1. Si quis ita petit filium suum vel in potestate ex jure Romano.

Callistr. 27. 1. 17. 1. Illensibus &c. propter conjunctionem originis Romanæ &c. immunitas tributa est.

Ulp. 28. 5. 6. 2. civis Romanus heres scriptus, vivo testatore, factus peregrinus; mox ad civitatem Romanam pervenit.

Paul. 35. 1. 104. cujus condicio postea exstitit, quam civitatem Romanam recipiat.

Ulp. 38. 2. 1. cum ex servitute ad civitatem Romanam perducuntur.

Idem 47. 18. 1. 1. Divus Marcus effractorem equitem Romanum &c. abstinere jussit provincia Africa, unde erat, & Urbe, & Italia.

Idem 48. 22. 6. quæ poena adimit civitatem Romanam.

Idem 48. 22. 7. 1. relegatus & civitatem Romanam retinet &c.

Marcian. 49. 14. 32. Sed si accepto usu togæ Romanæ, ut cives Romani semper egerint.

Ulp. 50. 15. 1. ob egregiam in rempublicam, imperiumque Romanum insignem fidem, jus Italicum dedit.

S E J A N U S.

Ulp. 8. 5. 4. 3. habeo ædes, quibus sunt vicinæ Sejanæ, & Sempronianæ. Ibid. adversus dominum Sejanarum volo experiri.

Paul. 10. 2. 25. 3. Si inter me, & te Titiana hereditas communis sit; inter me autem, & te Titium Sejana.

Idem 17. 1. 5. ut domum Sejanam centum emeris.

Ulp. 30. 41. 3. ad constructionem domus Sejanæ, quam ei legaverat.

S E M P R O N I A N U S.

Ulp. 8. 5. 4. 3. quibus sunt vicinæ Sejanæ, & Sempronianæ; Sempronianis servitutem debeo.

Idem 30. 41. 3. Si duobus domum legaverit Sempronianam.

SY-

σας ἐπιθύνην.

(c) Adde: ex tribus constit. positus initio Digestor.

## SYRIATICUS.

Ulp. 26. 2. 15. Si tamen tutor detur rei Africanæ, vel rei Syriaticæ.

## TABIANUS.

Scæv. 34. 2. 38. 1. Semproniarum Piarum hoc amplius copertoria Tabiana &c. dari volo.

## TITIANUS.

Pompon. 8. 2. 27. Sed si inter me, & te communes sint Titianæ aedes.

Paul. 10. 2. 25. 3. Si inter me, & te Titiana hereditas communis sit.

Idem 17. 1. 5. ut domum Sejanam centum emeris, tuque Titianam emeris.

Javolen. 29. 2. 76. 1. Titianæ partis habiturus partem eises.

Julian. 36. 1. 27. 7. quod si Mævius te rogavit, & suam hereditatem, & Titianam restituere. Ibid. cui Titianam hereditatem restituere rogatus fueris. Ibid. an alii Mævianam, alii Titianam rogatus fueris restituere.

Papinian. 36. 1. 55. 3. Cui Titiana hereditas ex Trebelliano senatusconsulto restituta est.

## CERTAMINUM NOMINA.

## CHRYSANTHIANUM.

Marcian. 33. 1. 24. Cum erat certa pecunia, id est, centum reipublicæ Sardoniorum relicta per quadriennium certaminis Chrysanthiani.

## CIRCENSES LUDI.

Ulp. 7. 8. 12. 3. non puto, eum Circensibus his usurum.

Paul. 30. 122. quod ad munus edendum &c. ludos scenicos, ludos Circenses relicto fuerit.

## VINORUM NOMINA.

## AMINÆUM.

Procul. 33. 6. 16. 1. si ita esset legatum, vinum amphorarium, Aminæum, Græcum, & dulcia omnia.

## CAMPANUM.

Gajus 45. 1. 74. ut ecce aurei decem, fundus Tusculanus, homo Stichus, tritici Africi optimi modii centum, vini Campani optimi amphoræ centum.

[a] De jure Italico urbis Constantinopolitanæ, vide lib. 24. Cod. Theod.

## FALERNUM.

Labeo 33. 1. 17. Vini Falerni, quod domi nasceretur &c. binos culeos heres meus Attio dato.

## GRÆCUM.

Procul. 33. 6. 16. 1. si ita esset legatum, vinum amphorarium, Aminæum, Græcum, & dulcia omnia.

## SURRENTINUM.

Procul. 33. 6. 16. Qui vinum Surrentinum in urnalibus habebat diffusum.

## JUS ITALICUM. (a)

Ulp. 50. 15. 1. Sciendum est, esse quasdam colonias juris Italici, ut est in Syria Phœnice splendidissima Tyrionum colonia &c. Ibid. huic enim Divus Severus, & Imperator noster &c. jus Italicum dedit. Ibid. Augustana colonia, quæ jus Italicum habet. Ibid. cui Divus Severus jus Italicum ob belli civilis merita concessit. Ibid. Imperator noster jus coloniarum dedit, jurisque Italici eam fecit. Ibid. sed neutra jus Italicum habet. Ibid. a Divo Trajano deducta juris Italici est.

Celsus 50. 15. 6. Colonia Philippensis juris Italici est.

Gajus 50. 15. 7. Juris Italici sunt, Τρώας, Βήρυτος, Δυρράχιον.

Paul. 50. 15. 8. In Lyfytania Pacenses, & Emeritenses juris Italici sunt. Ibid. Lugdonenses Galli, item Bienenses in Narbonensi juris Italici sunt. Ibid. In Germania inferiore Agrippinenses juris Italici sunt. Ibid. Laodicia in Syria, & Berytos in Phœnice juris Italici sunt. Ibid. ejusdem juris & Tyrionum civitas a Divis Severo, & Antonino facta est. Ibid. in Africa Carthago, Uticea, Leptis magna a Divis Severo, & Antonino juris Italici factæ sunt. Ibid. in provincia Macedonia Dyrrhacheni, Cassadrenses, Philippenses, Dienes, Stovenenses juris Italici sunt. Ibid. in provincia Asia duæ sunt juris Italici Troas, & Parium. Ibid. Imperator noster Antoninus civitatem Emisenorum coloniam, & Juris Italici fecit. Ibid. Divus Vespasianus Cæsarienses colonos fecit, non adjecto, ut & juris Italici essent.

## MENSIVM, &amp; DIERUM NOMINA.

## JANUARIUS. (b)

Paul. 18. 2. 1. nisi si quis intra Kalendas Januarias proximas meliorem condicionem fecerit. La-

(b) Adde: ex tribus constit. positus initio Pandectar. XVIII. & XVII. & III. Kalend. Januar.

Labeo 19. 2. 60. si ea domus ex Kalendis Januariis fulta in Kalendis Juniis permansisset. Ulp. 24. 3. 7. 1. mensis Januarii suprema die facto divortio &c. Ibid. itaque si fine mensis Januarii divortium fiat. Idem 28. 1. 5. propone aliquem Kalendis Januariis natum. Marcell. 35. 1. 36. ex Calendis Januariis consulatum ingressus est. Paul. 36. 2. 21. si certa est, veluti Kalendis Januariis centesimis. Ulp. 40. 1. 1. Placuit eum, qui Calendis Januariis natus &c. annum vicensimum compleverit, posse manumittere. Idem 41. 3. 7. qui hora sexta diei Kalendarum Januariarum possidere coepit, hora sexta noctis pridie Kalendas Januarias implet usufruptionem. Pompon. 45. 1. 12. Kalendis Januariis, vel Februariis dari spondes? Ulp. 45. 1. 41. qui Kalendis Januariis stipulatur. Ibid. si autem non addat quibus Januariis. Ibid. dicendum est, quod Sabinus, primas Kalendas Januarias spectandas. Gajus 45. 1. 141. 4. Mihi Kalendis Januariis, aut Titio Kalendis Februariis? Ibid. mihi Kalendis Februariis, Titio Kalendis Januariis? Ibid. si Titio Kalendis Januariis non dederis, mihi Kalendis Februariis dare spondes? Venul. 45. 3. 2. Kalendis Januariis decem &c. dare spondes? Paul. 46. 3. 98. 2. aut mihi Kalendis Januariis, Titio Februariis utiliter stipulor: quod si mihi Kalendis Februariis, Titio Kalendis Januariis: potest dubitari. Gajus 50. 16. 233. 1. Post Kalendas Januarias die tertio pro salute principis vota suscipiuntur.

FEBRUARIUS.

Pompon. 45. 1. 12. Kalendis Januariis, vel Februariis dari spondes? Ibid. perinde est, quasi Kalendis Februariis stipulatus sim. Gajus 45. 1. 141. 4. Mihi Kalendis Januariis, aut Titio Kalendis Februariis? Ibid. mihi Kalendis Februariis, Titio Kalendis Januariis? Ibid. Si Titio Kalendis Januariis non dederis, mihi Kalendis Februariis dare spondes? Paul. 46. 3. 98. 2. aut mihi Kalendis Januariis, Titio Februariis utiliter stipulor: quod si mihi Kalendis Februariis, Titio Kalendis Januariis: potest dubitari. Ibid. etiam mihi solvi potest ante Februarias. Cels. 50. 16. 98. 1. extremoque diei mensis Februarii adtribuit Quintus Mucius.

MARTIUS.

Pompon. 24. 1. 31. 7. Si vir uxori munus immodicum Calendis Martiis, aut natali die dedisset. Ulp. 24. 3. 7. 2. & vir ex Calendis Martiis eundem locaverit: & Calendis Aprilibus primis divortium fuerit secutum.

EVE

Alfen. Varus 39. 4. 15. ne quis praeter redemptorem post Idus Martias cotem ex insula Creta fodito. Ibid. cujusdam navis onusta cotibus ante idus Martias ex portu Cretae profecta &c. post idus Martias profecta erat. Ibid. qui ante idus Martias profectus ex portu esset. Paul. 44. 7. 44. Kalendis Martiis dare spondes? Ulp. 45. 1. 72. 1. Si ante Kalendas Martias primas opus perfectum non erit. Ibid. non ex quo locatum est opus, sed post Kalendas Martias, quia nec conveniri ante Kalendas Martias reus promittendi poterat.

APRILIS.

Ulp. 24. 3. 7. 2. & Calendis Aprilibus primis divortium fuerit secutum. Scæv. 45. 1. 135. 2. ut intra Kalendas Apriles primas unversam summam mandator numeraret. Ibid. cum ante Kalendas Apriles non omne pretium &c. Sejæ solutum sit.

MAJUS.

Marcell. 13. 5. 24. quos tibi reddere debeo Idibus Maiis probos. Scæv. 14. 3. 20. quos denarios vobis numerare debebo pridie Kalendas Majas. Pompon. 45. 1. 10. Si Lucius Titius ante Kalendas Majas in Italiam non venerit.

JUNIUS.

Labeo 19. 2. 60. si ea domus ex Kalendis Januariis fulta in Kalendis Juniis permansisset. Procul. 45. 1. 113. si opus arbitrato meo ante Kalendas Junias effectum non sit. Ibid. arbitrato meo opus effectum non esse ante Kalendas Junias. Ibid. quominus opus ante Kalendas Junias &c. perficeretur: an cum jam opus effici non posset ante Kalendas Junias. Ibid. cum jam opus ante Kalendas Junias effici non poterat. Ibid. quod aliquod tempus ante Kalendas Junias fuit, quo stipulator non desideravit id ante Kalendas Junias effici. Ibid. etiam si (stipulatus) stipulator pridie Kalendas Junias mortuus esset. Ibid. etiam si ante Kalendas Junias futurum esse coepit.

JULIUS.

Julian. 18. 1. 41. dummodo ante Kalendas Julias liberaret. Ibid. ut omnimodo intra Kalendas Julias venditor fundum liberaret. Ibid. ita ut eum intra Kalendas Julias liberet. Labeo 19. 1. 51. uti des pecuniam Kalendis Juliis. Idem 19. 2. 60. nec cogi quidem posset, ex Kalendis Juliis refecta domu habitare. African. 20. 4. 9. idem ante Kalendas Julias eundem Erotem alii &c. pignori dedit. Cels. 43. 26. 12. ut in Kalendas Julias precario possideat.

AU-

AUGUSTUS.

Procul. 45. 1. 113. stipulator diem in Kalendis Augusti protulisset.

SEPTEMBER.

Scæv. 45. 1. 122. 1. inde intra idus Septembres &c. proficiscatur. Idem 46. 3. 89. 2. ut viginti prius solverentur: id est, idibus Septembribus.

NOVEMBER.

Ulp. 24. 3. 7. 1. eumque vir ex Calendis Novembribus primis fruendum locaverit: mensis Januarii suprema die facto divortio &c. Paul. 45. 1. 126. 2. quæ dari Quintilliano &c. Kalendis Novembribus &c. stipulatus est Zofas.

DECEMBER.

Julian. 28. 5. 38. 1. si intra kalendas Decembres decem dedisset.



EVERARDI OTTONIS  
IN LIBRUM  
DE NOMINIBUS PROPRIIS  
ΤΟΥ ΠΑΝΔΕΚΤΟΥ FLORENTINI  
NOTATIONES

*En Præfat. ad Thesaur. Jur. Rom. Vol. I.*

**F**Orte nimius videar, si amœnitatem, & utilitatem hujus operis, suis vestitam coloribus, hic enarrare instituerem; nisi metus esset, quosdam adeo extra omnem humanitatem projectos fore, ut nobilissimam hanc Civilis sapientiæ partem ineptæ curiositati imputare audeant, causati, sanguinem legum, & succum quærendum, non cutem; frugem, non florem, disciplinæ practicæ esse sectandam; verborum denique, & nominum haud tantam rationem haberi debere, dummodo sensus assequamur. Hos vero scire volo, me non eum esse, qui ex Jurisprudencia Philologiam fieri velim, ejusque nervos infringi nimio verborum cultu. Sic enim in nos quadraret, quod olim in Philosophos Cathedrarios Seneca dixit *Epist. 88. Quantum habent supervacui, quantum ab usu recedentis? Ipsi quoque ad syllabarum distinctiones descenderunt, & invidere Grammaticis: quicquid in illorum arte supervacuum erat, transtulere in suam.* At hanc eruditionis partem recte Silenis Alcibiadis comparaveris, in quibus plurima prima fronte reïcula, sed, si cognoveris, solidæ eruditionis aditum præstant. Neque illa ad Grammaticos tantum, aut proletariæ, vel otiosæ cognitionis studiosos pertinet; quia vel unus Fabius præclaris Cæsaris, Ciceronis & Messallæ exemplis demonstrat, quam necessaria sit nominum, syllabarum, immo & litterarum cura, ut in res ipsas penetremus, nec obstare has disciplinas per illas euntibus, sed circa illas hærentibus, *lib. I. Inst. cap. 7.* Haud diffiteor supervacuum esse subtilitatem, ubi de proprio illius nomine quæritur, cui in testamento aliquid relictum est: quamvis enim nomen personam demonstret, ut ait D. Augustinus, & nomina ad dignoscendos singulos homines sint comparata, *l. 14. C. de Ingen. manum.* tamen æquitas non patitur, ut propter errorem, ab ægrotante testatore commissum, legatario damnum contingat, qui alio quolibet modo intelligi potest, *l. 4. pr. D. de legat. 1. l. 54. D. de Manum. test. l. 4. C. de Testam.* frequens enim esse, scribit Martianus Capella, ut nomen pro nomine testator commutet. Non

Tom. I.

etiam vehementer adversabor, si de privatis tantum agitur, quibus aliquando rescriptum fuit; Attio quippe idem, quod Titio, ex veteri formula; nec refert, viro an mulieri de jure responderint prudentes, quando in re sola consultationis, aut dubitationis causa consistit. Ubi vero Sexus prærogativa vertitur, æstuant aliquando interpretes vehementer, v. c. ad rubricam *l. 2. & 3. C. de lib. exhib;* immo *Sunia & Fretela,* Præbiterorum virilia apud D. Hieronymum nomina, pro muliebribus Rivetus, & contra *Elephantidis* muliebre pro virili Poetæ, Joh. Baptista Pius, & J. Cæs. Capacius, apud Suetonium *Tib. c. 43.* acceperunt, à Reinesio idcirco reprehensi, *lib. III. Var. Lect. c. 2.* Denique parvi momenti sunt variationes prænominum, in quibus depravandis nimium quantum grassata est Librariorum audacia, eo quod una littera, vel summum tribus notari solebant. At nomina Jctorum, Consulium, Prætorum, Imperatorum, Præfectorum Urbi, & Prætorio, ad explicationem Digestorum, & Codicis, adeo sunt necessaria, ut aqua, & igni facilius carere queamus. Latent enim sub nominibus illis viri maximi, quorum unus pro altero si accipiatur, tenebras legum capitibus induci, & totam temporis rationem perturbari, Celeb. Grævius animadvertit, in *Præfat. ad tom. II. Thes. Ant. Rom. Ratio,* inquit, *nominum Romanorum est multa caligine infecta, multisque difficultatibus impedita, cujus ignorantia plurimos parit errores, & causa est, ut de multis non nisi confuse sentire, & loqui possint, qui veteris juris, & legum Romanarum volumina versant.* Thomas quoque Reinesius *lib. I. Var. Lect. c. 25. & lib. III. c. 2.* quam notabiles plagas in nominibus propriis omissis, corruptis, vel alienis optimi auctores acceperint, quantumque nostra intersit eas recte sanari, præclaris exemplis ostendit. Sine his certe omne, quod ex jurisprudencia historica scire possumus, mendacio vicinum, atque anili de folis pectine, laminaeque turribus narrationi simile evadit; nec unquam perfecta fit repræsentatio hominis loquentis, quæ in scriptura est, nisi ejus genium,

Q99

con-



conditionem, ætatem, & sectam cognoverimus. Cætera corpus sunt; animam infundunt locus, tempus, & personæ. Sine quibus, ut nihil fit, ita omnis narratio informe refert chaos, fabulæque, nulli non rei applicandæ, fit similior. Non hic urgebo necessitatem hujus studii, propter duplices Julios Cæsares, & Pompejos a viris eruditissimis non satis distinctos, apud Schottum *lib. III. Obs. c. 34.* neque jucunditatem commendabo, quod nomina hominum nefariorum sæpe in proverbium ivere, ita ut de iis aliquid suspitionis nascatur, uti Clodii, Callidii, Nepotis, aliisque exemplis Franciscus Luifinus *lib. I. Pareg. c. 6.* docuit. Non item provocabo ad eruditorum exempla, qui de personis Horatianis integros libros scripserunt, ab Acrone laudatos: sicut non minore cura vetus Juvenalis Scholiastes hac parte posteritati succurrendum esse putavit. Summæ tantum dicam impudentiæ esse, Juris Studiosis persuadere velle, plura adhuc restare majoris momenti, quam ut attendere debeant historiæ nominum, & virorum, qui instrumenta fuerunt sæculi boni, quorumque sententiæ vim legum apud nos obtinent, a quibus vita, fama, & fortunæ civium pendent. Augustinus noster *lib. I. dial. 3. de Emendat. Gratiani* idem de his usurpat, qui totum hoc studiorum genus contemnunt, quod dici solet de illis, qui post fruges inventas glandibus vescuntur: nam si pueris irascimur, qui in excubando pro Augusto *Augustinum*, vel pro Anastasio *Athanasium* ponunt, & si de re ipsa constet, quid de viris, & librorum editoribus, qui doctorum numero volunt censerî, habendum sit, apparet.

Nisi forte ad pristinam barbariem reverti animus est, & cum rabulis forensibus, quos Ammianus Marcellinus lepide perstringit *lib. XXX. cap. 4.* veteris Jurisconsulti nomine audito pifcis, aut edulii peregrinum vocabulum intelligere; aut cum Theophili Scholiaste *ad §. 6. Instit. de Excusat.* Divos Fratres, Severum & Antoninum interpretari; vel actionis triticariæ natales cum Accursio a Triticio Prætore, qualis nulla fuit gens, aut familia Romæ, repetere velimus. Et quis non horreat ad solam mentionem legis, vel Scti *Vectibulici*, in *l. 3. C. de servis recip. manum.*, cui nulla gentium Romanarum nomen dare potuit? Contius emendat *Vectii Libyci*, Cujacius in *Parat. C. d. t. Vectii*; Ruffardus *Vectilibici*; Augustinus de *ll. Vectibulicium* vocat; Pancirolus *l. 2. var. lect. c. 221. Vectii Bulici*; Cl. Heineccius, in *dissert. de P. Juventio Celso pag. 20.* reponit *Vectii Bolani*, quasi lata fuerit a M. Vettio Bolano, qui A. 863. Consul fuit, *Grut. Inscr. p. 66. n. 2. p. 128. n. 5.* Optima Rutgerfii *lib. II. var. lect. c. 5.* foret conjectura, latam, & dictam videri a Vectio Proculo, & C. Publicio Certo CSS. A. DCCCL. cumque scriptum esset *secundum legem Vectii Publici*. hoc est, *Vectiam Publiciam*, duo illa nomina vitio librariorum coaluisse; sed cum

ex Plinio *lib. 9. epist. 13.* constet, Publicium excidisse sperato Consulatu, quem collega ejus in præfectura, Vectius Proculus cum Pompejo accepit, ego *Vectii Rustici* malim, vel *Vectii Calpurnii*; quia *Vetrius Rusticus* Bolanus cum *L. Calpurnio* Pisone fasces tenuit. Fuit certe Vettia gens Romæ, ex qua multos memorat Cujac. in *Parat. C. lib. VII. tit. 9.* & inter eos Vettium Chilonem, cujus nomen apud Tacitum *1. Hist. 37.* in æque portentosam *Betulichilonis* vocem deerravit. Plura de gente illa disseruit Lucius Camarra, de *Teate antiq. l. 111. c. 3. Thes. Ital. t. IX. p. 5.* Jam vero quis risum teneat, cum legerit jocum Scipionis Gentilis, *lib. sing. Origin. voc. heres. tom. IV. Thes. pag. 1389.* nomen *Saufeja*, apud Juvenal. *Sat. IX. vers. 117.* nil aliud, quam bibulæ esse: *quantum Saufeja bibebat*: & agnatum ejus videri Saufejum magistrum, cui navem frumenti tribuit Alfenus, in *l. 31. D. Locat.* ex quo, si diis placet, cerevisiam cocturus erat bibax ille Germanus, a *Sauffen* dictus? At Saufeja gentis in nummis veteribus mentio est, & Saufejos plures laudat Cicero *pro Rab. c. 7. 1. Att. 3. 2. Att. 8. 15. Att. 4.* Inscriptiones Gruteri *pag. 251. 494. 705. 761. Malvasia p. 72. 487. & Fabretti p. 7. 53. 316. 384.* recteque monuit Pancirolus *lib. II. var. lect. c. 43.* in *d. l. 31.* non *Saufeii*, ut in vulgatis codicibus, sed *Saufeii* legi debere. Eiusdem fursuris est, quod imperiti veterum familiarum, ut Langlæus *lib. V. Semestr. c. 4. in fin.* aliique, nescio qui a Fornerio *lib. II. Select. c. 23.* notati, Bubulcos judices rure arcescunt, aut in album recuperatorum in provinciis, quosdam e tardo bubulcolorum genere coniciunt, qui de libertate judicant, ex Juvenalis *Sat. VII. vers. 116.* contra *l. 32. §. 7. D. recept. & l. 1. c. Si manc. ita ven.* Immo quasi vero ab utroque pecore majore, & minore, multorum cognomina non essent desumpta! ut Porciorum, Oviniarum, Capriliarum, Taurorum, & Vitulorum, auctore Varrone *lib. II. de R. R. c. 1.*; cui Asinos & Suillos adjungere possumus, ex Plutarcho in Poblícola: vel quasi in Junia gente, familiæ unius cognomen Bubulcorum non fuerit, ex qua C. Junius Bubulcus, apud Livium *lib. IX. cap. 20.* & Plinium *lib. XVIII. Hist. Nat. cap. 3.* Juniorum familiæ Bubulcum nominaverunt, quod bubus optime utebatur. Piget ineptiarum. Et tamen fuerunt tempora, quibus indocti, cum Speculo Suevico, legem Æliam Sentiam, quæ impedit libertatem *Essentiam*, Caniniam a cane, Falcidiam a falce, Servianam a servando dici, cum Accursianis, sibi persuadere potuerunt.

Verum post magnam illa Actorum, Annalium, Fastorum, & Tabularum ad æternitatem fixarum jacturam, post libros mala manu corruptos, & saxa longa senectute detrita multum profecto in priscis nominibus restituendis tribuendum est veteribus Jurisconsultis, qui partim ipsis rebus interfuerunt, partim integros Historicos legerunt, quorum ne sillaba ad nos per-

pervenit. Pulcris exemplis in proclivi effe ostendere, quamplurimas veterum, ope Pandectarum, maculas deterfas esse: nam Ludovicus Carrio *lib. I. Emendar. cap. 4.* Granium Flaccum Licinianum restituit Gellio, & Macrobio, ex *l. 144. D. de Verborum Significatione.* Idem Junium Gracchanum, a Gracchi amicitia sic dictum, ex *l. un. D. de Officio Quaest.* Varroni reddidit, & Fenestellæ, dicto *lib. I. cap. 19.* nec alius Junii nomine, apud Festum, & Macrobiū, est intelligendus. Auli Cascellii nomen varie corruptum legebatur apud Horatium, Valerium Maximum, Plinium & Ammianum, donec meliores manuscripti codices, ex Pomponii *l. 2. §. 45. de Origine Juris,* & Celsi *lib. 158. D. de Verb. Signif.* a Briffonio de *V. S.* in voce *Aulus,* confirmarentur, frustra repugnante Pighio *Tom. I. Fastorum pag. 77.* Nec ambigendum est, an secundum exemplar Florentinum hoc nomen per duplex L. scribi debeat; quia ita est in marmore apud Corradinum *ver. Latii Tom. II. pag. 190.* A. CASCELLIVS. A. F. AEDIL. CVR. Porro barbarium Philippum dictum fuisse, servum illum fugitivum, qui prætura functus est, novimus ex *l. 3. D. de Off. Prætor.* quum perperam a Suida Βίλιππος Φιλίππιος vocetur. Sic Articulejus Consul, apud Spartianum in Hadriano *cap. 3. ex l. 51. §. 7. D. de Fideic. Libert.* & Tarruntenus Paternus, apud Lampridium in *Commod. c. 4. ex l. 7. D. de re militari* a Salmasio viam (a) receperunt. Idem de Prisci Javoleni, id est, ut ei videtur, Zaboleni vel Diaboleni nomine multa disseruit ad Capitolin. *Pium cap. 12.* De aliis alii. Nemo unus autem tantam illustrium virorum nominibus lucem attulit, quam noster Augustinus, cujus hic etiam mos est singularis, quod veram, & emendatam scribendi rationem, sæpe & meliorem, quam librarii Pandectes Florentini, aut marmorarii, manu, quam mente doctiores, secundum præceptiones Grammaticorum exhibuit, summa nummorum auctoritate plerumque innixus. Sic Minucius, Mucius, Porcius, & Sulpicius habet ubivis; quia non a minuto, muto, & porta, ut alii putant, dicuntur. Helvius Pertinax, non P. Ælius, aut Helius, ut alii. Hadrianus cum adspiratione, licet editio Historiæ Augustæ exhibeat *Adrianus,* invitis nummis latine inscriptis, & marmoribus perita manu dolatis. Recte etiam *U amat,* in *Cornelius Sulla;* uti lapides Capitolini, & nummi gentis Corneliæ: Græci vero Σύλλας, quos Casaubonus sequitur ad Sueton. *lib. I. c. 1.* & crebra horum est commutatio, ut *trylla* pro *trulla l. 19. §. 9. D. de auro & arg. & truella l. 36. D. eod.* Contendunt inter se grammatici, utrum præstet *Vergilius,* an *Virgilius;* Augustinus *pag. 375. (b)* præfert *Vergilius,* secundum nummos gentis *Vergilia,* nec aliter Politianus *miscell.*

*c. 77. & Castalio var. lect. cap. 50.* forsan autem utrumque antiqui scripsere, ut *Verginius,* & *Virginus,* in *l. 2. §. 24. de O. J.* quia litterarum E, & I tanta olim fuit affinitas, ut sine discrimine inter se commutarentur, auctore Fabio, Gellio, aliisque. In Pandecte Florentino communiter *Vivianus* scribitur: at *pag. 321.* ostendit, *Vibiam* gentem, non a vivendo, sed a Vibone oppido dictam: sæpe autem ut in aliis, B & V commiscetur. *Vivianus,* pro *Vibianus* est apud Gruter. *681. n. 7. Vivianus* pro *Vibius,* *pag. 127. Bivius* pro *Vibius* *pag. 375. 5.* & apud Paul. in *l. 8. D. de quaest. Vivianus Avitus* Consul dicitur, qui in fastis Capitolinis *Vibius Habitus* vocatur. Pro *Messala* Consule in *l. 4. §. 2. D. de Off. procons. pag. 239.* habet *Messalla,* qui illud Valeriorum cognomen, in nummis, & lapidibus per duplex L reperitur, sicut *Massallinus* in binis apud Golzium. Seneca *de brev. vitæ c. 13. Valerius Corvinus, urbis captæ in se translato nomine, Messana appellatus est, paulatimque vulgo permutante litteras, Messalla dictus est.* *Aquilius* item in Pandectis plerumque per simplex L scribitur, sed in notis ad *pag. 296.* mavult duplicatum: id quod Lipsius etiam in nummis, & lapidibus invenit, & summus in litteris vir, Car. Sigonius ad *Liv. lib. II c. 4.* laudavit. Quod si tamen Festo credimus, *Aquilius* ab *Aquilo,* seu subfulco colore nomen esse fortitos, convenientius, per L simplex scribetur, sicut in quattuor marmoribus, & totidem nummis, a Manutio, & Vaillantio inspectis: quos Turnebus *lib. XXX. advers. c. 28.* & Philippus a *Turre de inscript. M. Aquilii c. 2.* ob analogiam magis probarunt; ut a *Rutilo* est *Rutilius,* a *petito* *Petirius.* Sic *pag. 378.* male L in *Catilina,* & N in *Licinia* Florentiæ geminari, Virgilii & Horatii auctoritate evincit. Non minus erudite *pag. 375.* retinet *Ulixes,* in Papinianis *l. 9. D. de suppell. leg.* nam Plutarchus, in vita Marcelli scribit, in Engyio Sicilia oppido, olim Οὐλίγοι scriptum, postea geminato S expressum esse, ut *constitisset* apud Gruter. *pag. 298. n. 4.* nec mirum, quia X vicem duplicati S sustinet. Poterat in eadem *l. 9.* retinere *Penelopa,* ut Plautus, & Cicero, apud Cujac. *lib. XII. Obs. 18.* sed vere Fabius ait, *lib. I. Inst. c. 4. Orthographia servit consuetudini, ideoque sæpe mutata est.* *pag. 379.* rectius, quam in libro Florentino, scribit *Mæcnas,* quia Græce est Γάιος Μαικνήας apud Dionem *lib. 49.* idque inscriptiones in ipsis hortis Mæcenatis erutæ, aliæque Fabretti *pag. 225.,* & nummus in honorem ejus cusus, cum epigraphe S. C. *Mæcen.,* satis evincunt; nec quisquam dubitat in *l. 64. D. de donat. int. vir.* legendum esse *Mæcenatem* pro *Decenatem.* Verum de familia ejus non una est sententia. Muretus *Aquilius,* Manutius

Qq q 2

tius

(a) Forte *vitam.*(b) Nostræ editionis *paginæ* a nobis indicantur quam-quam ab Everardo Ortonæ *paginæ* suæ editionis indicatæ sunt. Quod Lectorem semel monitum volo.

tius Cinciis, Lambinus Vipfaniis, Glandorpius Heliis, rectius Augustinus Ciliniis, optime Turnebus *lib. XVIII. Advers. c. II.* Ciliniis eum inserit; cui Lipsius, Schottus, Brækhufius, & alii apud Henr. Meibomium, in *vita Maccenatis cap. 3.* adstipulantur. Et hæc speciminis loco nunc quidem sufficient; alia non minus jucunda infra sequentur; nec dubito, plura id genus aliorum diligentia observanda superesse. Majus enim est illud Augiæ stabulum, quam ut majorum industria illi purgando suffecerit: patet omnibus veritas, nondum est occupata; multa etiam futuris sunt relicta.

Quod autem Cujacius *lib. XII. Observat. cap. 18.* nominum restituendorum inanem forsitan laborem esse scripsit, ad rei difficultatem pertinere arbitror: nec enim in his antiquitatum tenebris plus intelligere possumus, quam quantum ex monumentis licet: pleraque suspicamur magis, quam percipimus; tricasque Atellanas citius extricaverint Critici, quam ut nomina omissa suppleant, corrupta emendent, & pro alienis vera repnant ubivis. Vin' causas? Ipsi Veteres aliquando dissentire videntur, quum diversa cognomina eidem homini tribuunt, quæ tamen non pugnant, sed conjungi debent. Sic Appium illum qui factos, & legis actiones composuit, Frontinus *Crassum*, Pomponius in Tusco libro *Centemmanum*; in vulgata, & Haloandrina *Cæcum* appellavit: pariter ac in Sacris Litteris Ofias, Rex Judæ, aliquando *Asarias* audit, & Petrus nunc *Simon*, nunc *Cephas* dicitur. Eodem modo C. Julius Ephesus, qui *♁ Mascutius* apud Gruter. *pag. 250.* L. Aur. Panniculus, qui *♁ Sabanas*, *pag. 313.* 8. Dunningus Palladius, *quondam Augustius Augustalis pag. 869.* 6. Quandoque vero scriptores antiqui, aliud agentes, non modo in prænominibus & cognominibus cespitarunt, sed & confuderunt eos, qui separari debebant; ut Scipiones Valerius Maximus, & Attalos Justinus. Sic Herodotus pro Xerse *Darium*; Seneca *Antigonum* pro Amynta, & Cicero, in libro perduto, de gloria, pro Hectorre *Ajacem* dixit, Gellio notante *lib. XV. Noct. Attic. c. 6.* Similem festinantis lapsum Xystus Betulejus, in ejusdem *lib. II. de Nat. Deor. c. 3.* observavit, ubi Hostilio adscribit, quod Tarquinio Prisco debebat. Inter nostrates Neratius apud Ulpianum in *l. 3. §. 5. D. de Cond. caus. dat.* Domitiam Neronis filiam vocat, quæ amita erat, & Papinianus in *l. 8. D. ad L. Jul. majest.* Juliam mulierem Catilinæ conjurationem, ait, detexisse; quam Fulviam fuisse constat. Augustinus ait vocem *filia*, in *d. l. 3.* obelo notari posse, & *pag. 323.* Domitiam, Domitiani uxorem, a Neronis amita, de qua fortassis agatur, distinguit. Pancirolus *lib. II. var. lect. c. 32.* filiam intelligit, avi Neronis principis. Forsterus *lib. I. Obs. Succif. c. 7.* se totum diem pro existimatione Ulpiani, ait, laborasse, & Domitiam tandem, Domitii Corbulonis filiam, Domitiani conjungem Paridis pantomimi amore deperditam exculpisse

ex Suetonii Domit. *c. 3.* Lipsius vero ad Taciti *lib. XIII. Ann. cap. 27.* scribendum *Neronis amita*, vel potius, pro *filia*, legendum *consilio*, nihilque peccasse Ulpianum existimat. Sed ingenue Cujacius *lib. XVIII. Obs. cap. 23.* Ulpiani *Παρόραμα*, non *ἀμάρτημα* *μνημονικόν* esse ait. Alciatus *lib. IV. parerg. cap. 17.* eum falli significavit. Idemque de Papiniano est dicendum; quia in scholiis Basilicorum *lib. LX. tit. 36. pag. 605.* est *Ἰσλία τις Τυνὴ διπλαυξέ*, & in vetustis libris corporis Canonici, in *can. Certis. causa 15. qu. 3.* ex Papiniano descripto, *Julia* reperitur. Popma vero, & Wasse ad Sallustii Catilin. *cap. 24.* Papinianum a culpa absolvunt, eamque in librariorum coniciunt: minime vero mendosus Sallustii liber est, ut Augustinus noster fluctuat, *pag. 324. fin.* nam & Appianus *lib. II. de bellis civ.* Plutarchus *vita Ciceronis cap. 21.* & Florus *lib. IV. cap. 1.* uno ore eam *Fulviam* appellarunt. Sic inter *μνημονικὰ* Pomponii, a Mureto, Eberlino, aliisque refertur, quod in *l. 2. §. 2. de O. J.* Tarquinium Superbum Demarati Corinthii filium vocat, quum nepos, aut secundum alios, pronepos fuerit: nam *parum liquere* ait Livius *lib. I. c. 46.* Alii cum Haloandro, & Varrone pro Superbo, Tarquinium Priscum substituunt: alii per filium nepotem intelligunt, ut Gilb. Regius, *l. 11. Enant. c. 20.* & Forsterus, *lib. I. Lect. Succis. c. 7.* sed ampl. Bynkershoek in *Præterm. ad Pomp. pag. 18.* Pomponium ex regula geminationis Filius, idest Filii Filius defendit: & quid si fateamur, ipsum, cum tot aliis Historicis Latinis, in re domestica errasse? nonne omnium habere memoriam, & in nullo penitus errare divinitatis magis est, quam humanitatis? Græci vero Historici, quo diligentius res Romanorum minutissimas enarrarunt, eo crebriores illis in nominibus peregrinis, & inauditis lapsus; quorum innumeros, in uno Appiano, a se observatos, scribit Petrus Faber, *lib. III. Semestr. cap. 12.* causas vero depravationum Casaubonus ad Lampridii Eliogabalum aperuit *c. 1.*

Major adhuc librariorum fuit oscitantia; qui nuspam securius, quam in propria nomina, grassati sunt: cumque cetera omnia facilius caperent, in his aut mala pronuntiatio dictantis, aut siglorum compendia, aut nominum cognatio, & affinitas in omnia alia eos a vero abduxerunt. Multis certe ostendi potest exemplis, quam proclives illi, in mediis syllabis omittendis, fuerint; maxime quando duæ sibi similes, vel litteræ eadem sese sequuntur. Sic Spartianus, aliique *Papinianum* pro Papiniano; Lampridius *Tryphoninum*, pro Tryphonino; Zosimus *Σαβιανόν* pro Sabiniano; marmorarii *Antoniana* pro Antoniana, & *Restitus* pro Restitutus apud Gruter. *p. 6. n. 4. & 523. n. 8.* sculpsere. Eundem errorem, in Justini & Justiniani nominibus confusis, doctissimus Procopii interpres ostendit, & lapidas alteram frequenter absorbere syllabam, per *Βονίζητιν*, vel augere, Reines. *ad. cl. IX. n. 36.* & Fabrettus *cl. X. n. 63.* præclare docuerunt. Huc item pertinent Cœlii, & Cæcili

com-

commutatio tam crebra, ut Guil. Grotius de vitis JCro. l. 1. c. II. §. 17. unum idemque nomen esse existimaverit: Verum in l. 14. §. fin. D. de Ædil. ed. & apud Gell. lib. IV. c. 2. pro Cæcilius legendum est Cælius, ut Sabinus ille intelligatur, quem de Edicto Ædiliū Curulium scripsisse novimus. Cælius quoque pro Cæcilius a viris doctis, apud Macrobiū lib. II. Sat. c. 10. repositus est, Festi auctoritate, in Spatiatorem, qui tamen, in voce citeria, eodem mendo laborat; sicut Appianus, & Dio Cassius, a Paulo Manutio, in vita Cælii, ad lib. VIII. epist. fam. 1. reprehensi. Non minor errorum seges ex coalita prænominum nota cum nominibus provenit: unde ex M. Plætorio, Emplatorius; & e T. Rabilio, Trabilius apud Ciceronem formatus est, lib. I. fam. 8. & lib. IX. ad Attic. 15. Sic Gellius lib. VII. cap. 14. Cæcilium, Macrobius lib. I. Sat. c. 5. Cælium Senatorem vocat, qui C. Acilius fuit, uti Lipsius lib. II. Elect. 3. ex Plutarcho contendit. Rurfus librariorum apud eisdem lib. XVI. noct. Att. c. 5. & lib. VI. Saturn. cap. 8. ex C. Ælio JCro, primo Cælium, dein Cæcilium effecisse, Menagius cap. 22. Amæn. præeunte Augustino nostro observavit. Cæcilius item pro Sex. Ælius, in l. 3. §. 9. D. de Pen. leg. mendose scriptum est, sicut L. Ælius, omisso puncto, ut fieri solet, migravit in Lælius, apud Ciceron. lib. II. de LL. cap. 23. & Sueton. de ill. Gramm. c. 2. ubi Elias Vinetus adeatur. Innumera id genus non veterum tantum librariorum, sed etiam typographorum, correctorum, vel eorum, qui Græcos verterunt, peccata Eruditi passim in animadversionibus castigarunt ex siglis male acceptis, vel litteris majusculis olim non lectis oriunda, quos inter Henr. Stephanus, in Schediasm. var. lib. III. c. 26. & 27. excellit tom. V. lamp. Grut. In nostris Pandectis Proculus pro prolutus in l. 12. D. de duob. reis. legendum monuit Augustinus eoque illaudato repetiit Schottus lib. V. Obs. c. 30. Contra Commoda in l. 16. §. 1. D. de Alim. leg. non est nomen proprium testatricis, ut Accursius, & Augustinus voluerunt, sed adjectio alimentorum, quam Pancirolus lib. II. Var. c. 96. perperam a Commodo Imperatore derivat; cum comoda sint convenientia, diaria, & cotidiana, unde stipendia, & annonæ militares comoda dicuntur, in l. 23. D. de Adim. leg. & l. 1. C. de Primip. Alia & majoris momenti exempla Cujacius lib. II. Obs. 33. lib. XIX. Obs. 17. lib. XX. Obs. 3. dabit.

Varia porro, & diversis temporibus observata nominum ratio tenebras pluiquam Cimmerias subinde obduxit. Communiter ingenui Romani nobiliores tres species propriorum nominum, prænomen, nomen, & cognomen habuerunt, quod vel ex l. 21. §. 1. D. Qui testamenta fac. poss. l. 1. C. de mutat. nom. l. 4. C. de Testamentis, Seneca lib. IV. de beneficiis cap. 8. & Juvenale Sat. V. vers. 128. no-

tum est. At primos Romanorum uno nomine, Græcorum & Barbarorum more contentos fuisse, Romuli exemplo constat, & post Varro-nem Appianus observavit. Mox alterum accessit prænomen, quo gentiles distinguerentur; qualia duo tantum Marii nomina extiterunt, notante Plutarcho, initio ejus vitæ. Deinde cognomen his superaddi placuit, ab hominum, quos designabat, ingenio, vel habitu corporis petitum; sed nihilominus alii duo prænomina, alii duo, vel plura cognomina adsciverunt; splendidioribus rursus, familiæ cognomen habentibus, non quidem ex bonis animi, corporis, aut fortunæ, ut Marius Victorinus scribit in 1. Rhet. Cicer. sed ex nomine post adoptionem inflexo, ut Petrus Servius conjecit, additum est agnomen; cujus a multis, etiam ab Augustino nostro, rejecti Tullius lib. II. de Invent. cap. 9. Ovidius ex Ponto lib. III. Eleg. 2. vers. 107. Capitolinus in Vero cap. 3. & Justinianus §. 29. Inst. de legatis meminerunt, idemque adversus Augustinum, Sigonium, & Robortellum Adduensis lib. II. Explicat. c. 30. & Fabrettus c. 1. Inscr. pag. 22. 23. tuentur. Invenias etiam, ubi cognomini postponitur nomen, aut prænomen aliquando cognomina diu oblitterata, in iisdem familiis repeti cœperunt: sæpe illustriorum nomina ulurparunt terræ filii, & alia reliquæ Italiae, alia Romæ nominum fuit ratio; de quibus Paulus Manutius ad Ciceronis lib. II. epist. fam. 8. Perizonius Animadv. Hist. cap. 2. 3. Gerhardus Vossius filius ad Vellejum, Spanhemius de Præst. & usu num. t. II. diff. 10. p. 551. & Cl. Dukerus ad Florum l. II. c. II. §. II. conferri merentur. Quinimo tota illa religiosa nominum observatio, sub occupata Republica, sensim periit; jamque sub Antoninis mutatae sunt declinationes, & prænomina in nomina conversa: uni homini duplicia sæpe nomina, aut duo, vel tria prænomina, aliquando etiam quattuor, vel plura cognomina continua, vel agnomina feminina viris attributa, cæteraque pro arbitrio deducta sunt; ut tamen proprii cognominis partes plerumque, quod ultimum erat, impleret: qua de re Jos. Scaliger, in indice Grammatico ad Gruteri inscriptiones, Jacobus Sirmundus in Diatriba singulari, post præfationem ad Apollinarem Sidonium tom. I. Oper. pag. 834. una cum castigationibus Spanhemii; & Norisius in Epist. consul. pag. 475. cum nota Cl. Hadriani Relandi, in Præfat. ad Fratris Fastos, legi possunt. Hæ igitur tot, aliæque obscuritates ut tollerentur, omnes ingenii nervos intenderunt viri magni, & multa doctrina excellentes, Robortellus, Sigonius, Onuphrius, Pighius, Servius, Glandorpius, Reinesius, Fabrettus, & qui multa bonæ frugis ab iis præterita attulit, laudatus modo illustri Spanhemius. Viros etiam clarissimos Salmasium, Reinesium, Rupertum, & Perizonium grandes commentarios de nominibus Romanorum molitos fuisse, accepimus: sed quos aut immaturus obitus, aut aliæ occupationes Reipubli-

cæ litterariæ inviderunt. Hæc autem propria, & invidenda est Augustini nostri gloria, quod tum in libro singulari, de familiis Romanorum, tum *lib. III. Emendationum cap. 8.* tum in opere, quod enarramus, inter primos primus, ut certe cum Sigonio æquale, ad hanc nobilissimam eruditionis partem, sine qua origo virorum illustrium, eorumque res gestæ sciri non possunt, excolendam substulit signa, aliisque nationibus per Europam exemplum, quod imitarentur, reliquit. Quam turpiter vero Panvinius suum *de nominibus* libellum non tantum ex Sigoniano compilaverit, nullo ei honore relicto, sed eum quoque Augustini nostri plumis ornando, incredibilis oscitantæ specimen præbuerit, celeberrimus Perizonius monuit, *Animadvers. Histor. cap. IX. pag. 403.*

Quod si aliquis nunc ex me querat, quid causæ fuerit, cur Augustinus Archiepiscopus, in senili ætate, quasi ab ultimo studio ad carceres revocatus, nominibus propriis Pandectarum, libro singulari exornandis, animum adjecerit; vel si alii cum Menedemo Terentiano, ei occinant: *Cremente tantum ne ab re tua est otii tibi, aliena ut cures; eaque nihil, quæ ad te attinent?* ii confessim ex libris ejus *Emendationum* responsum accipient, opus hoc, ab ipsa adolescentia, diu meditatam, serius demum complementum accepisse, nam *lib. I. cap. 7. Valde utile existimavi*, scribit, quod apud Scævolum Julianus fecisse dicitur, duobus capitibus commixtis, interpretationem facere. Itaque non solum *Digesta* inter se comparanda, sed & *Institutiones ad Digesta* & ad constitutionum Codicem conferendas curavi: in quo mirum in modum Florentinis libris adjunctus sum, quod alio tempore omnibus patefaciam. Ex eodem *lib. I. cap. 4. 5. 6. 7. & lib. III. cap. I.* simul liquebit, eum fuisse primum, qui legum inscriptiones, ab aliis, qua Græcis, qua Latinis omittas, ab Haloandro autem quatuor & viginti tantum libris prioribus Pandectarum (quia huc usque Politianus, & Bologninus eas notaverant) in lucem editas, ad librum usque quinquagesimum descripsit, quique illa ætate jam insignes utilitates, ex conjunctione fragmentorum hauriendas, perspexerit capitali ingenio, & mente ad miraculum usque sagace. Augustinus, in *libris Emendationum*, primus, multa doctè de legum inscriptionibus, & earum utilitate describit, scribit Jac. Labittus, in *usu ind. Pand. c. 2. §. 6.* Nimirum hac via Glossatoribus antiquis ignota, ipsos fontes quodammodo in integrum restitui posse didicerat, quæque olim in libris Jurisconsultorum, Deiphobi Virgiliani instar, laceratis, cohererant, velut postliminio, iterum conglutinari. Inde ætatem, sectam, ingenium, Philosophiam & stilum cujusque Jurisconsulti; tum materiam, scopum & methodum, quam quisque in scribendo, respondendo, & disputando tenuerit, observari; ordinem edicti perpetui, progressum,

& fata Jurisprudentiæ cognosci, ἐκτυπώσασθαι secundum substratam materiam componi; leges fugitivas, & exulantes ad suas quasque sedes nativas revocari; & denique suppleri indicem Jurisconsultorum, & scriptorum ab iis editorum, qui Pandectis Florentinis præpositus est, sed in quo & JCTi desiderantur, & cæterorum complures libri desunt, uti Cujacius *lib. II. Obs. c. 21. Laur. Theod. Gronov. in Emend. Pand.* aliique observarunt. Quemadmodum igitur Celsus graviter monuit, incivile esse, nisi tota lege perspecta, una aliqua ejus particula proposita, judicare, vel respondere; ita sapiens Romanus Seneca *Epist. XXXIII. Deponè istam spem, posse te summam degustare ingenia maximorum virorum: tota tibi inspicienda sunt: tota tractanda. Res geritur, & per lineamenta sui ingenii opus nectitur, ex quo nihil subduci sine ruina potest. Nec recuso, quo minus singula membra, dummodo in ipso homine, consideres.* Præterea Antonius noster cautus viderat, haud frustra Justinianum tam sollicitè numeros librorum per consequentias litterarum, non per sigla manifestari jussisse, in *l. 2. §. 22. C. de Vet. jur. enucl.* quum capitibus unius auctoris coactis, non tantum ejus mens, sensus genuini, occasio, & vera species legum, seu proprio artis mysterio, feliciter eruatur; sed etiam Tribuniani, ac sociorum emblemata optime detegantur; qui non raro novellam suam Jurisprudentiam, sub nominibus veterum, nobis venditarunt, similis vecordiæ rei, ob quam Rhodios olim singulari oratione Dion Prusænsis reprehendit.

Postquam autem in has utilitates, editis deinde a Taurello A. MDLIII. ex Pandectæ Florentino, capitum inscriptionibus, altius inquisiverat Jacobus Cujacius νομοδιδάκτωρ, & Jurisprudentiæ Phoenix, nunquam destitit is legum inscriptiones & rubricas titulorum discipulis suis commendare, velut *claves*, quibus arcana hujus sapientiæ referentur. Quo factum, ut multi in hac palestra, nec sine fructu, se exercuerint; sed Jacobus Labittus diligentem in primis operam in indice suo conficiendo impendit, laceraque JCTorum membra, ut Æsculapius discerptos olim Virbii artus, concinnavit A. MDLVII. Hoc conspecto, Augustinus, licet ætate provecior, totus, ut Manutius alicubi scribit, *labor, totus industria*, ad pristinos amores reversus, meliora in scriniis suis sine fructu latere comperit, quam ab eo, ut in præfatione ait, *qui magna cum laude id cœpit, erat publicatum.* Cœperat autem Labittus, auctore, & suafore in primis Cujacio, cui quicquid præstitum esset, acceptum ferri debere, in *usu Indicis cap. 6.* & in præfatione palam profiteretur. Vicissim Cujacius *lib. IV. Obs. cap. 1.* scribit: *ut vel hoc solo indicio, quam sit necessarius nobis, a Jacobo Labitto proditi indicis usus, satis liquere possit.* Et libro sequente *cap. 5. ut ex indice Labitti nostri,*

*virī optimi, & doctissimi constat.* Rursus ad l. 7. D. de Minor. Jac. Labittus, unus ex meis intimis studiosissimus nostri, eruditus vir & perhumanus. Adde Petrum Fabrum lib. III. semestr. c. 24. ubi eundem clarissimum, suumque tunc temporis, cum scriberet, contubernalem carissimum vocat: quæ gravissima elogia, cæteris recentiorum nuper collectis, addi merentur. Attamen Augustini indicis quadruplex utilitas major revera habenda est: quum enim ille ordinem indicis manci, qui Pandectis Florentinis præpositus est, in serie Jurisconsultorum sequutus fuerit; hic temporis rationem haud neglexit, quo singuli JCTi vixerunt, quos, multis eorum capitibus & libris supplementis, aut emendatis, optimo ordine distributos dedit; ut, usu postulante, singula confestim reperire liceat, quum alias certissimæ paupertatis species sit, ignorare, ubi projectum jaceat, quod desideratur. Deinde Labittus tantum adjecit loca ex Codice Justiniano, ex Institutionum libris, & Novellis constitutionibus, ad nomina Jurisconsultorum pertinentia; nos ter cætera quoque consuluit Jurisprudentiæ ante Justinianæ, & Historiæ Romanæ monumenta, quæ JCTorum meminissent, v. gr. Ulpiniani titulos, Pauli sententias, Collationem legum Mosaicarum, Codicem Theodosianum, & Græcos, qui vel Justiniano æquales, vel post eum in urbe Constantinopolitana vixerunt, librisque Justiniani, mala manu nondum depravatis, usi sunt. Adjecit præterea, quod extra Labitti institutum erat, nomina propria Regum, Consulium, Imperatorum, Legum, Virorum, Feminarum, Urbium, & Provinciarum, in Pandectis conscripta; & omnia denique simul notis eruditis illustravit. Profecto me ipsum non nossem, si ut Censor ad has notas accedere vellem; multa tamen in illis notarunt alii, plura aliorum diligentia relicta sunt: quædam etiam ipse offendi, præter opinionem, minus accurate posita, quæ, ne prorsus ἀβυσσολῶς accedere videar, medius inter arrogantem industriam, & ignavam modestiam, examinato, supplebo, & ut JCTorum voce utar, superadiiciam; quum possit unius, & forsam deterioris sententia, & multas & majores in aliqua parte superare, ut ait Justinianus, de notis Ulpiani, Pauli & Marciani ad Papinianum, in Constit. de concept. digest. Nec erit opella sine fructu, quia tanti viri auctoritas multis imposuit, & pluribus in futurum imponere posset: quemadmodum

..... sepe observatio crevit  
Ex uno quondam male erepta, deinde secutis  
Tradita temporibus, serisque nepotibus  
aucta.

Post præfationem, sumta penula, litera Grammaticorum suam fecit, an vocabulum Pandectæ sit masculini, an feminini generis. Utriusque sententiæ auctores quosdam laudavit Vossius lib. III. de arte Gramm. cap. 19.

& de vit. serm. lib. IX. c. 18. fin. plures vero, & diligentius recensuit Ampl. Brenemannus, in Historia Pandectarum lib. III. cap. 6. ut hoc tantum mihi monendum super sit, Augustino nunc demum illam vocem marem visam fuisse, quam in cæteris scriptis pro femina habuerit; neque ita absurdum videri; quum ex Plinio lib. VII. Hist. nat. cap. 4. creditum esse sciamus, feminas in mares mutari posse. Pandectarum librum masculino, non sequiore genere Florentinarum, efferri oportere, nunc didici & docui, in Indice priorum nominum, ait idem dial. X. Antiquit. pag. 160. Sed quia Græcorum tantum testimoniis nititur, de quibus nemo dubitat, qualisqualis Latinorum auctoritas ex Laur. Th. Gronovii Emend. Pand. cap. 21. suppleri poterit. Nolim vero præteriri iudicium Prisciani lib. VII. pag. 759. Varro de Lingua Latina ait talia ex Græco sumta, ex masculino in femininum transire, & A litera finiri, ὁ κοχλίης, hæc cochlea; ὁ χάρτης, hæc charta, ὁ γαυβάτης, hæc gausapa. Dispar quidem hæc ratio esse videtur; quia substantivum λόγῳ sub πανδέκτης intelligitur, uti ἀβτήρ sub κομητης; attamen Casaubonus ad lib. V. Strabonis pag. 218. hunc optavit locum Augustino in mentem venisse, cum suam de Pandectarum genere mutaret sententiam: Profecto, ait, vir optimus remisisset aliquid de acri contentione, qua probare nititur, errare eos omnes, qui Pandectas femineo genere efferunt: sed non primus Augustinus hic offendit.

In primo capite nomina Jurisconsultorum, tam ex quorum scriptis constant Pandectæ, quam, qui in iisdem laudantur, recensuit. Utrosque rursus in quatuor classes distinxit; typumque successionis duarum factionum, Sabinorum, & Proculejanorum ex Pomponio dedit pag. 189. Qua in re jam olim lib. III. Emend. cap. 4. Contio præverat lib. 1. lect. Subsec. cap. 12. quem Jac. Gothofredus, in manuali cap. 7. & Petrus Lambecius in prodromo Historiæ litterariæ pag. 232. secuti sunt. Quid Petrus de Valasco, & Medivilla in hisce veterum concertationibus explicandis præstiterit libro singulari, quem Salmantica prædiisse ferunt, juxta cum ignarissimis scio: neminem autem puto, in illas Proculi, & Sabinii discordias, vel ut Plinius lib. VII. epist. 24. appellat, scholas Cassianas, & Pegasianas altius Emundo Merillio penetrasse cum ad quinquaginta decisiones, tum lib. I. Observat. lib. V. c. 38. & lib. VIII. cap. I. cujus inventis Christianus Ottho a Boekelen quædam, alia Cl. Gotfridus Mascovius, de sectis Sabinianorum, & Procul. erudita adjecere. Quemadmodum vero dies prior posterioris discipulus esse solet, sic in vitis JCTorum Rutilius, Bertrandus, & Guilielmus Grotius, magni Hugonis frater, plus Augustino præstiterunt, eumque non semel confutarunt nominatim. Menagius item, in amœnitatibus, Rupertus, Eberlinus, & ὁ πᾶν Bynkershoekius ad Pomponium

nium varia observarunt, ex quibus hoc opus emendari posset. In universum vero, quæ ad historiam Juris auctorum pertinent, necdum exhausta sunt omnia, neque supervacuum in iis laborem poni longiorem, illi sentient, quibus licebit meliora investigare præceptis. Quod si antiquæ Jurisprudentiæ amatores singuli singulos sibi JCTos accuratius describendos susciperent, posset deinde ex omnibus partibus collectis unum corpus confici; quemadmodum Scævola jam Balduinus; Ulpianum, & Papinianum Lectius; Pauli patriam Pignorius; alios alii viri clarissimi, Eckius Labeonem, & Capitonem; Schultingius Cajum, Ulpianum, & Paulum; Gundlingius Trebatium Testam; Reinoldus Pomponium; Heineccius C. Aquilium Gallum, & P. Juventium Celsum; Ulpianum Stegerus, & Masurium Sabinum Mollerus enarrarunt, quibus programmata Joannis Strauchii, de JCTis quibusdam, a Cl. Budero Jenæ collecta, addi merentur. Ipse, quid humeri valerent, in vitis *Servii Sulpicii, Alfeni Vari, Æmilii Papiniani, & Sabvii Juliani* concinandis experiri volui, quarum duæ priores to-  
mum V. claudunt.

Noster pag. 178. Alfenus, & Alphenus, in Pandectæ Florentino, sed sæpius per F. scribi notat: Haloander priorem, Robertus Stephanus posteriorem, Hugo a Porta utramque orthographiam sequuti sunt, & diversitas illa sine periculo scribentium tolerari potest. Apud Gruterum pag. 856. est Alfenus: & contra Alphenus pag. 901. n. 6. idque in nummis, & marmoribus litteratis aliis non minus est frequens: quoniam litera F apud Latinos antiquos idem valuit, quod PH apud Atticos, & serius placuit, ut consonantibus adspiraretur, auctore Cicerone, in Oratore c. 48. & Quintiliano lib. I. cap. 5. *Hoc scire debemus, quod F littera tunc scribitur, cum latina dictio scribitur, ut felix: nam si peregrina fuerint, P & H scribimus*, ut Phoebus, ait Diomedes Grammaticus apud Putsch. pag. 418. In libris autem Florentinis dictiones peregrinæ frequentius per F scribuntur, ut *Fenices, Filippi, sifones, chirografa*, itemque in inscriptionibus, *Fryx, Hierofanta, triumphus*, & similia leguntur. Major dubitatio est, num *Alfenus*, an *Alfinus* dictus fuerit: Lævinus enim Torrentius ad Horatii lib. I. Sat. 3. eum patrio primum nomine *Alfenum*, postea cum clarus evasisset, *Alfinum* appellatum esse arbitratur; quam conjecturam Rupertus ex nummo Golzii firmat, in quo est P. Alfinius P. F. Varus. Etiam in laterculo consulari Dionis Cassii, A. U. C. DCCLV. Π. Αλφῖνϙ, ἢ Αλφῖνϙ, Π. vi. Ο Υαρϙ. P. *Alfenus*, vel *Alfinius*, P. F. Varus Consul laudatur. Apud Gudium pag. 28. n. 4. P. Alfenio Varo. Et P. Vinutio Cos. An. ab Urb. Cond. DCCLIII. At vel sola membrana Etrusca putidum hoc Torrentii commentum refellit, in qua perpetuo, pariter ac apud Catullum, Gellium, Ammianum Servium, & Donatum, *Alfenus* vo-

catur, vel, quod eodem recidit, *Alphenus*: & magis est, ut Alfinius ille Honoratius, sive is sutor, sive tonsor; item Alfinius Consul, ex nummo & Dione prolatus, alius fuerit, quam noster: quam in rem conjecturas suas Cl. Wachtlerus, in *actis Erudit. Lips. A. MDCCXI*; & Petrus Baylius, in *Dictionary*, breviter proposuerunt. Ingens vero dubium inde exoritur, quod Alfenia gens, ad hoc usque tempus apud Cremonenses propagata, imaginem JCTi, gentilis sui, ex ære expressam servat, eamque hospitibus, & peregrinis inter visenda urbis ostentat; vicus etiam Alfenus in agro Cremonensi durat, quem ab ejus viri Cl. & Consulis Romani nomine appellatum esse, Franciscus Arisius, *Cremonæ litterata tom. I. pag. 32.* ne quidem dubitandum existimavit. Sed hac de re in vita Alfeni videbimus, tom. V. Alfeniæ gentis mentio est, apud Reinesium *cl. V. insc. 2. 46.* eadem forte Alfenia vocatur, apud Gruterum pag. 208. & Alfenius in fragmento quodam Bononiensi occurrit in marmor. Felsin. *sect. IX. c. 6. pag. 574.*

Pag. 189. Sempronius Proculus inter sex Jurisconsultos refertur, qui a Masurio Sabino ad Julianum usque floruerunt, vir magnæ auctoritatis, & cui nomen debet secta Proculiana: sic enim ubivis scribendum esse, monuit Cujacius, *ad tit. de O. J. in fine, & lib. XXVII. Obs. 28.* Perperam eum ex Juliis fuisse nonnulli putarunt, quos Reinesius bene refellit, *ad cl. VI. inscript. 122.* Sed ipse Liciniis inserit, mendose. Male etiam Bertrandus Proculum præfectum prætorio sub Othone eundem putat; is vero *Licinius Tacito* audit. *lib. I. Hist. cap. 46.* Noster *Sempronius Proculus* nepoti suo salutem dicit, in *l. 47. D. de legat. lib. II.* Nec audio Petrum Fabrum *lib. III. semestr. cap. 12.* legentem: *Sempronius Nepos Proculo suo salutem*: egregia scilicet ratione, *ex l. 67. de Jure dot. & l. 125. de V. S. petita*; quam vel unica vocula *quæris in d. l. 47.* profligat. Vixit Proculus sub Caligola, & Claudio, falliturque Perrenonius, ad Cæsaris usque ætatem ascendens, *lib. II. Var. cap. 24.* Posterior est Proculus, cui rescribitur ab Alexandro, *in l. 9. C. ad L. Jul. de adult. & a Gordiano, in l. 7. C. de Accusat.* idem forte, qui in Papiniani discipulis, & Alexandri consiliariis apud Lampridium memoratur: nisi membranæ meliores eum expungendum esse monerent. Vide tamen Gutherium, *de Offic. domus Augustæ lib. I. cap. 18.*

Pag. 192. Juventios a juventute dictos, non a jubendo recte tradit, & liquet ex Cicerone, in *Bruto c. 48.* Plinio *lib. VII. Hist. nat. cap. 53.* & in primis ex denario hujus gentis apud Golz. *Fast. Magistr. & triumph. pag. 134.* in quo etiam Juventæ deæ simulacrum nominis originem ostendit. Idem videtur Sigonio *de nom. Rom. c. 4.* & Brissonius *Παρρηγ. num. 8.* ex vetusto libello, cui Celsus nepos subscripsit, firmari putavit, apud Gruterum pag. 607. n. 1. sed ibi Jubentius.

Cel-

Celsus. Promagister. Subscripti; pariter ac in epistola Velii Fidii præmissa, *Jubentutis* habetur. Verum in senatusconsulto *l. 20. §. 6. D. de Hered. petit.* recte scriptum est *Publius Juventius Celsus Cos.* etiam apud Gruterum pag. 573. *Juventius Celsus II. Cos.* nec minus apud Fabretum pag. 508. *P. Juvent. Cels. Cos.* ubi eundem Celsum nepotem, qui in lapide Gruteri *Jubentius* dicitur, designari, infra pluribus ostendam. Ex cognatione igitur litterarum *B, & V* descendit, quod Celsus *JCtus* in plerisque Pandectarum, & Codicis capitibus, etiam apud Plinium *lib. VI. epist. 5. Jubentius* appellatur, ut Jabolenus *lib. VI. epist. 15.* qui in Pandectis *Javolenus* vocatur, sicut *Jabolenas, & Javolenas*, ex inscriptionibus Aldus Junior, in Orthographia, produxit. Ipse Julianus Imperator jam olim frequentem horum elementorum permutationem observavit, *orat. II. pag. 72. Vocant eam litteram V; qua pro B sapius, propter spiritum, ut arbitror, & linguæ proprietatem, utuntur: & Priscianus Putschii pag. 547. Apud nos quoque est invenire, quod pro V personante B ponitur.* Exemplorum omnia sunt plena. Ex lapidibus multa collegit Scaliger *ind. XIX. ad Gruter. & Reinel. ad Inscr. cl. 1. n. 10. Epist. ad Rupertum 35. ex nummis Spanhemius, Dissert. 2. pag. 120. ex Pandectis Lipsius in Orthographia. Forner. lib. I. Rer. quot. c. 15. & lib. IV. c. 20. Brisson. dict. n. 8. Cl. Schulting. ad tit. D. de edendo. §. 18. & Ampl. Brenemannus in Appendice Fastorum Relandi pag. 850. ex Codice Cujac. lib. 1. Obs. 15. & Jac. Gothofredus ad l. 3. C. Th. de inoff. test. Mihi unum addere liceat, ex Fabretto pag. 546. inscript. CONIVGI. BENE. BIBENTI, ut illustrem l. 17. §. 1. D. de Ædilit. Edict. ubi Bibianus Florentiæ legitur pro *Vivianus*; & contra in l. 23. §. 3. eod. medicamentum pro *Beneno Vivit.* Rideant hæc, & parvi faciant, qui volent; at ego harum minutiarum ignorantia, viros Cl. lapsos esse, novi, quos inter Hotmanus, in *comm. Verb. jur. bispelliones*, servos versipelles, planos, & veteratores, quasi duarum pellium ex Plinio & Persio interpretatur in l. 31. D. de Evict. l. 72. §. 4. D. de solut. Rævardus *lib. II. Conjectan. cap. 16. vespillones* diversos facit a vispellionibus: cum *vespilliones* tantum & pollinctores, qui vilia cadavera vespertino tempore efferebant, intelligantur. V. Biffon *lib. I. de solut. & de V. S. lib. 19. Scaliger ad Catull. epigr. 60.**

Pag. 202. *L. Julium Aquilam*, ait, de Etrusca disciplina scripsisse, auctoremque laudat Plinium. At Guilielmus Grotius *lib. II. de vitis JCtorum cap. XI. §. 12.* sibi, Plinium obiter perlustranti, locum non occurrisse monet: nec miror; quia in elencho tantum capitum, & auctorum, præfationi, sed ab alio forsitan, quam a Plinio subnexo ad *lib. II. & XI. Historiæ naturalis: Julius Aquila, qui de Etrusca disciplina scripsit*, legitur. Diver-

Tom. I.

sus autem ille fuit a nostro, si verum est, quod Bertrandus *lib. I. cap. 30.* confidenter affirmat, Julium Aquilam *JCtus*, mortuo dudum Plinio A. U. C. 950. Consulatu functum, eumque in *l. ult. D. de suspect. tut.* rescripti, ab Hadriano Imp. ad Vitrasium Pollionem missi, meminisse. Sed nulla hujus rescripti, quod in pandectis Florentinis, ab Ulpiano in *l. 15. §. fin. D. de Excusat.* refertur, cum facta, de quo respondebat Aquila, est communitio; & cur illud suo loco motum, & post dictam *l. ult.* transvectum sit, in vulgatis, Augustinus noster in fine notarum ad Modestinum indicavit. Gallus etiam Consul *Cajus* vocatur, non *Julius*, apud Gruterum pag. 300. n. 2. *Ti. Saturnino Et C. Gallo Cos.* Nec Frustra igitur Augustinus *lib. I. Emendat. cap. 4.* scribit: *Est illic Galli, nescio cujus, Aquilæ, responsorum liber, a Politiano perperam Aquilii Galli appellatus, ab Haloandro non male Julii Aquilæ.* Jacobus Gothofredus eum in postremum locum, ad Constantini tempora rejecit, in *Manuali cap. 7.* Ego etiam omnino, cum Laur. Th. Gronovio *Emendat. Pandect. cap. 25.* Gallum, & Aquilam diversos facio auctores; alterum *Ælium Gallum*, cujus opus de Verborum, quæ ad jus pertinent, significatione scriba Florentinus in indice omisit, ex quo *l. 157. de V. S. petita* est; qui vero non tantum a Varrone, Festo, Gellio, Macrobio, & Servio, sed etiam a Cajo, & Paulo laudatur, in *l. 19. D. de Usur. l. 77. de V. S.* Augustinus dicto *cap. 4.* In indice hic *Ælius JCtus* non est, sed *Haloander* eum ob *caput 157. de V. S. adscript.* Alterum vero *Julium Aquilam*, ex cujus Responsorum libro duo fragmenta supersunt, in *l. 34. D. de P. m. & per. tut. & l. II. D. de susp. tut.* Hios igitur auctor indicis Florentini, in verbis *Γάλλος Αιούλας Responsa* conjunxit, aut ex *Ιούλιος* factum est *Γάλλος* facili librariorum errore, quibus Gallus Aquilius notior fuit, quam Julius Aquila; uti Cl. Heineccius probabiliter conjecit, in *notis ad orat. de C. Aquilio Gallo pag. 5.*

Sequenti *Salvio Juliano* prænomen *Marci* tribuit Rupertus; nec intercedo, modo ne Marcus Salvius Julianus, filius forsitan, aut nepos nostri, Consul A. Chr. 175., cujus meminit Aristides *T. I. pag. 515.*, confundatur. Male Gravina cognomen *Severi* adjecit, Jurisconsultum cum Imperatore illius pronepote confundens, qui Didius Salvius Julianus Severus dicebatur. Et quia eadem in re, post Aurelium Victorem & Eusebium, Paulus Orosius *lib. VII. cap. 16. Freculphus lib. II. cap. 23. & Monachus Weingartensis, apud Leibnitium tom. I. Script. rer. Brunsvic. pag. 795.* hallucinati sunt; nec ipse Hugo Grotius a tanta confusione sibi cavere potuit, a Menagio notatus *cap. 24. Amœnitat. operæ pretium erit stemma Juliani hic indicasse, Reinesii industria contextum, lib. III. Var. lect. cap. 2. pag. 343.*

R r r

& il-



& illustratum tum ab ipso, *Epist.* 59. tum a Ruperto, in fine notarum ad Pomponium. Reliquos Julianos, amplius sexaginta, Vir Celeb. Joh. Albertus Fabricius, Bibliothecæ Græcæ Tom. VII. recensuit pag. 90. An vero interdictum Salvianum a Salvio nostro nomen acceperit, dissentiunt eruditi. Pro affirmante sententia, cum Augustino pag. 370. stant Cujacius, Colombettus, & Wefenbecius, in *paratitulis*. Negat Bachovius ad Treutlerum Vol. 2. *Disp.* 25. v. 2. lit. d. & lib. III. de *Pignor. cap.* 20. Giphani. ad §. 3. *inst. de interdictis*, novisque rationibus Ampl. Bynkershoekius, lib. I. *obs. cap.* 24. quas Cl. Waechtlerus diluere conatus est, in *Actis Lips. A.* 1716. *mensis Junio*. Mihi res plane incerta esse videtur; quia gens Salvia plures prætores, & Jctos produxit. Nam Hadrianus Salvio Caro rescriptit in l. 14. *D. ad SCtum Turpil.* & Salvius Aristo Julianum consuluit, in l. 6. *D. de legat. præst.* Inter scripta Juliani, in Indice Florentino, Digeston βιβλία ἐνενηκοντα, Digestorum libri nonaginta tantum memorantur: Augustinus vero pag. 209. ex lib. XCIV. laudat l. 32. de *Legibus*, cujus inscriptionem ita edidit Taurellus. Sed quum in manuscripto Florentino legeretur, *Julianus lib. LXXXIV.* numeris hinc mala manus supra addidit quartum X., eaque in re Viro Cl. L. Th. Gronovio, bene se id vidisse scribenti, facile fidem habemus. Num vero l. 1. *D. de his, qui not. inf. ex lib. 1.* Digestorum edictorum desumpta, quæ Cujacii opinio fuit, ad Julianum pr., an vero Ulpiani nomen, cum Taurello, quem Augustinus pag. 209. sequitur, reponendum sit, nondum satis comperio, quod tuto dici possit. Quamvis enim verba edicti communiter ex Ulpiano adferri soleant; est tamen, ubi Julianus Ulpiano præmittitur, ut in l. 1. *D. unde legitimi*. Nec solet Ulpianus ita loqui, *Prætoris verba dicunt*: siquæ nomen mutandum sit, mutandus etiam liber, & cum Labitto, in usu indicis *cap. 6. Ulpianus lib. VI. ad Edictum* scribendum, quia ex eo libro l. 2. 4. 6. 8. 11. & 13. ejusdem tituli desumptæ sunt. Delenda quoque inscriptio l. 2. ut verba edicti interpretatio Ulpiani statim subsequatur.

Pag. 219. *Volusium Mæcianum* recte Juliano subjungit, quem ille *Julianum suum* appellat, in l. 86. *D. de Condit. & demonstr. l. 65. §. 1. D. ad SC. Trebell.* Perperam autem omittit prænomen, quod suggerit Capitolinus, in *vita Marci Antonini cap. 3. Studuit & juri, audiens L. Volusium Mæcianum*. Multa de eo Menagius *cap. 5. amœnit.* Jac. Gothofredus, & Ill. Bynkershoekius ad l. αἰσίου de lege Rhodia. Frustra autem Augustinus Lampridio, in *vita Alexandri cap. ult.* metacronismi crimen impingit: nam veteres membranæ Mæciani nomen ibi non agnoscunt, & nugæ agit Bertrandus, cum Lampridium liberare conatur, *Mecio*, vel *Messio* substituto: quod bellum tamen inventum alios sibi arrogasse video, ipsi quasi invidentes. Eundem hunc Mæcianum au-

ctorem esse libelli, qui *distributio assis* inscribitur, lib. II. *Emendat. cap. 7.* pro indubitato habuerat Augustinus; & quod in l. fin. C. de *Donat.* dicitur, festertium nummi unius, assium quatuor æstimatione fuisse, egregie ex eo illustravit; nec aliter *Dial. I. Antiq. notarum diligens interpret extat Volusius Mæcianus, de Assis*: hoc loco autem, cum præceptore suo Alciato lib. I. *parerg. cap. 17.* subdubitare videtur, postquam libellum ad calcem Codicis Theodosiani editum vidisset. Ast qui ita edendum curaverat, Cujacius ad l. 21. §. 2. de *Annuiis Legatis*, illum singularem, & pulcherrimum Mæciani librum vocat; & juris studiosis prius addiscendum, quam Institutiones. Joh. Frid. Gronovius eum quoque libris suis de *Pecunia vetere pag. 395.* inseruit, & Grævius T. XI. *Theauri*, cum Vineti & Gronovii notis.

Pag. 227. *Sextos Pomponios* duos eodem nomine Jurisconsultos fuisse tradit: cumque Cujacius idem sensisset, hos duumviros alii deinceps secuti sunt, tantæque auctoritati, ut solent, assurrexerunt. Fundamentum opinionis est in l. 41. de *Hered. instit.* cujus inscriptio habet: *Pomponius lib. XII. ex variis lectionibus*; in fine autem capitis testis Pomponius laudatur: ut refert *Sextus Pomponius*. Verum jam olim Ægidius Menagius *cap. 20. Amœnitat.* Augustinum in eo falli summo digito tetigerat, idque alibi se ostensurum pollicebatur: nuper autem vir Cl. in laudata prius oratione, de Sexto Pomponio, existimavit, architectos Pandectarum, cum Juliani locum ex libro XXX. Dig. transcriberent, quo ille Pomponii verba laudarat, simul incidisse in variarum lectionum libros, atque ad oram notasse locum, ab Juliano spectatum. Et verum est, Julianum aliquando Pomponium, æqualem suum, testem laudasse; si non in l. 6. §. 6. 7. & 8. *D. de negot. gest.* quam præcedentis legis partem esse, Cujacius, Ruffardus, & Cl. Dukerus de *Latin. Jct.* pag. 320. satis demonstrarunt, saltem in l. 63. §. 9. *D. Pro socio*. Miror autem scribi, Pomponium obiisse, Hadriano imperium obtinente: cum is Divi Antonini Pii constitutionem laudaret nominatim in l. 14. fin. de *Pollicitat.* Parum itaque abest, quin geminos Pomponios, cum Augustino, fuisse credam, patrem forte & filium; quia Ulpianus in l. 32. *D. de Legat. I.* inquit: *quod ita verum esse, tam Sextus, quam Pomponius negant.* Idemque in l. 1. §. 27. de *SCto Silan.* inquit. *Et ait Sextus.* Ubi Græci male ὁ Σέπριος habent; quia Sulpicianæ ætate nullum fuit SCtum Silanianum: nec quicquam causæ erat, cur Leunclavius lib. II. *Notarum n. 64.* rem tam manifestam eruditus disceptandam relinqueret. Sic etiam cadit dubitatio, an Ulpianus Marcellus notas scripserit ad librum singularem Regularum Pomponii; an vero ejus observatio a Pomponio laudetur, in rubrica l. 63. *D. de acquir., vel om. hered.* Prius Bertrando lib. I. *cap. 17.* sedit; posterius Cl.

Fabricio, *Bibl. Lat. lib. IV. cap. 9. pag. 818.* cujus sententia firmari videtur ex *l. 10. D. de Castr. pecul.* ubi Pomponius Marcelli notam refert. At per ætatem Ulpius omnino notas ad Pomponium scribere potuit: nam Divorum fratrum orationem laudat, in *l. 19. D. de Test. tut.* notas scripsit ad Julianum, Pomponii æqualem, *l. 9. §. 8. D. Quod met. caus.* & sententiam Antonini Augusti, se præfente, Pudente & Pollione Consulibus, latam adfert, in *l. 3. D. de his, quæ in test. del.* Incidit autem Consulatus Servilii Pudentis, & Fufidii Pollionis in A. U. 918. qui Sextus fuit Marci Aurelij, & Lucii Veri Imp. vid. Gruter. *Inscr. pag. 1009. n. 2. Spon. Misc. pag. 33.* Denique ad Pomponii librum Regularum Marcellus notat aperte, *l. 16. §. 1. D. Qui test. fac. junctæ l. 29. §. 2. D. Quib. mod. ususfr. amitt.* ut minime dubitandum sit, in *d. l. 63.* voces, libro singulari Regularum Pomponii Marcellus notat, idem notare, quod ad librum singularem: nam eodem modo, *Juliani lib. XI. Dig. Marcellus notat*, rubrica *l. 14. D. de in rem, vers. l. 39. D. de Hered. inst.* alibi apud Julianum libro XXXII. *Dig. Marcellus notat*, rubrica *l. 80. D. de Legat. 1.* hoc est in notis, quas Marcellus ad Julianum scripsit. Nec quicquam nos moratur *l. 10. D. de Castr. pec.* ubi Compositores Pandectarum, Pomponii verbis omissis, solam Marcelli notam nobis dederunt.

*Pag. 231.* Cajum cur Justinianus nostrum appellaverit in *§. 6. præem. Inst. de Publ. jud. & constit.* Omnem, se ignorare profiteretur, nisi fortasse, quia is Christianus fuit, aut ejusdem nationis cum Justiniano. Nollem vero hoc excidisset tanto viro, qui ipse *lib. I. Emendat. cap. 5.* rectius docuerat, Cajum non multo tempore, post Salvii Juliani ætatem vixisse; quo & Sextus Pomponius fuit. Culpæ autem hujus multos habet socios, & quod mirandum est, eruditissimos viros, Antonium Vaccam, ad *præem. Dig. §. 5.* & Hotmanum, ad *dict. §. 6.* scribentem, existimare licere, Cajum Justiniani tempore floruisse, & hunc ejus opera usum fuisse, nisi libri Quotidianarum rerum eidem attribuerentur: rursus *libro VIII. Observ. cap. 4.* Caii institutiones Græce scriptas esse, sibi persuadet non attendens, quod Anianus, in barbara epitomes explanatione, multa de suo, & recentiore quidem jure adjecit. Donellus ad *l. 1. §. 4. D. de Verb. Obl. n. 11.* neminem dubitare posse, credit, quin earum Institutionum auctor fuerit Christianus, qualem veterem Cajum non fuisse sciamus. Nec multo melius Rævardus *lib. III. conjeçt. cap. 19.* eum ad Antonini Caracallæ, Marcilii in *dict. §. 6.* ad Diocletiani ævum rejecerunt; nisi valde Macrobius ipsum dicere velimus, cum Cl. Conradi, *de vera ætate Caii*, in Actis Lips. A. 1727. *pag. 55.* Hubero jam olim retinente, *lib. III. Observ. jur. hum. c. 18.* At quid clarius *l. 9. D. ad SCtum Ter-*

tull., ubi M. Aurelium Antoninum Philosophum sacratissimum nostrum Principem vocat, quod ex collatione *pr. Inst. ad SCtum Orfitianum liquet?* Cur autem Justinianus Cajum suum appellaverit, in *dicto §. 6. Pr. & §. 5. de publ. jud.* non una est eruditorum sententia. Rutilius *de vitis JCror. c. 39.* suspicatus est in verbis *Caii Nostri*, mendum latere; alii Cajum Nostrum dictum putarunt, quos Augustinus refellit, *lib. I. Emend. c. 5.* probabilem rationem a professionis societate petitam attulit Colerus *cap. XII. Parerg.* Mihi verissima videtur, quod Tribunianus ejus operibus, in conscribendis institutionibus, præcipue fuit usus. Quemadmodum Strabo, & Seneca Senonem, Aufonius & Ennodius Maronem, Tertullianus Senecam, & Jurisconsulti se invicem suos appellarunt, *l. pen. D. de stip. serv.* vid. Casaubon. ad Strabon. *lib. I. pag. 70. Lips. lib. IV. Antiq. lect. c. 20. Juret. ad Aufon. epist. 17. & Comment. meum ad dict. §. 6. præem. Instit.* Quod autem Augustinus & hic, & *Dial. VII. Antiquit.* monet, Cajus semper scribendum esse, non Gajus, forsitan non persuadebit illis, qui cum Augusto in ea sunt opinione, perinde, ac pronuntiamus, scribendum esse: quin ipse *lib. III. Emendat. cap. 3.* alia extare, ait, monumenta, ante aliquot annos, quam Justinianus fuit, conscripta, in quibus est Gajus, & Gneus, idque Diaconum, Diomedem & Priscianum significare. Et sane antiquissimis quidem latinis incognita fuit litera G, ut vel ex ordine litterarum constat: Tertia enim Habræis, & Græcis G sonum habet, pro qua Latinis est C. At postquam Spurius Carvilius, illius forte Carvili Rugæ, qui primus Romæ divortium fecit, libertus, G litteram adjecto apice invenerat, auctore Plutarcho *Quæst. Rom. n. 54.* sonum litteræ C per gamma efferebant in multis vocibus; unde apud Græcos, ori Romano se accommodantes Γαῖος, & in Codicibus, nummis, ac marmoribus Cajus, & Gajus promiscue scribuntur: licet plerique ob reverentiam prænominis, C littera designati, Cajus retinuerint, etiam ipse Augustus apud Gellium *lib. XV. cap. 7. Hæve, mi Cai.* Quintilian. *lib. I. Instit. orat. cap. 7. Quid? quæ scribuntur, aliter quam enuntiantur? Nam Γ Gajus litera C notatur, quæ inversa Γ mulierem declarat: quia tam Cajas esse vocitatus, quam Cajos, etiam ex nuptialibus sacris apparet. Nec Cneus eam litteram in prænominis nota accipit, qua sonat.* Servius ad *I. Æneid. vers. 194. Amurca per C scribitur, Γ per G pronuntiat, ut C Gajus, CN Gneus.* Ratio confusionis est litterarum propinquitas, de qua Terentius Scaurus, & Victorinus apud Putsch. *pag. 2254. & 2469.* Adde Norris. *Cenot. Pis. diss. IV. c. 5.* & de variis Caiis, Cel Schultingium *Juris pr. vet. pag. I. Pag. 245.* In *Q. Cervidii Scævola* nominibus commissos Alciati, Haloandri &

veteris interpretis errores notavit ad Modestinum, tom. IV. *Thes.* p. 1546. unde lux huic notæ: neque *hic* autem, neque pag. 176. Scævola Muciorum gentilem dicere audeat: Cujacius vero eum, in quæstione, an partus ancillæ sit in fructu, in l. 10. §. 2. *D. de usurpat.* Q. Mucii gentilis sui opinionem sequi, ait, licet ipsum trecentorum annorum intervallo attingat. Contra Balduinus, in fine Scævolarum fluctuans suspicatur, Scævola cognomen Cervidio honoris causa fuisse datum, quia inter κορυφαίους τῶν νομικῶν fuit, & magno ingenio juris Civilis exornavit Sapientiam, quam Cicero *patrimonium Scævolarum* vocat. Ad ipsum pertinet l. 3. *C. Th. de Testamentis*, ab Augustino perperam omissa, ubi Arcadius Scævola auctorem *JCtorum prudentissimum* appellavit. De ætate, & scriptis ejus, Perrenonius lib. I. *animadvers.* cap. 22. & lib. II. c. 11. 23. de obscuritate, Azo in *proem. Cod. n.* 17. *Fayus in præfat. ad Connanum*, & Robertus lib. IV. *sent. c.* 16. de ingenio, Alciat. lib. IV. *Parerg. c.* 1. & Pancirolus lib. II. *Var. lect.* c. 103. de more respondendi, Durenus in Scævola, post l. 122. *D. de V. O.* de Secta, Cl. Mascovius c. 8. §. 5. de fide, Noods lib. II. *Prob. c.* 2. de *Paëtis c.* 22. & Schulting. *ad tit. D. de Transact.* §. 17. aliique complures egerunt, quibus adde si lubet, quæ de eo scripsi in vita *Papiniani cap. XI.*

Pag. 216. *Tertullianum* Jctum non alium esse putat a Scriptore Ecclesiastico, quem Eusebius lib. II. *Hist. Eccl. cap. 2.* ἀνδρα τοῦς Ρουμικῶν νομῶν η̅ραβωκότα. *Virum legum Romanarum peritissimum* vocat, quippe insignem suam juris peritiam passim ipse, maxime cap. IV. V. & VI. *Apologetici*, cap. V. de *Pallio*, & cap. VI. de *Anima* satis ostendit. In eandem sententiam pedibus iverunt Cujacius, Pancirolus, Alb. Gentilis, Rad. Fornerius, Guil. Grotius, aliique minorum gentium interpretes, nec ætas refragatur; quia Christianus ille, imperante Severo, & Caracalla, scripsit, & sub Elagabalo mortuus est circa annum Christi 220. At rectius Hugo Grotius *ad tit. III. vers.* 13. *Valesius ad Euseb. d. l.* & multi alii id negarunt, quos longa ferie hic referre, inutile foret; quia Menagius cap. XII. *Amœnit.* Rev. Jo. Mich. Heineccius, in *diff. hist. de Jctis Christianis primorum Seculorum*, & Cl. Fabricius *ad Hieron. de Script. Eccl. c.* 53. de iis tam diligenter scripserunt, ut vix spicilegium superfit. Hoc tantum addam, mihi semper κριτήριον certissimum visum fuisse collationem vel unius l. 33. *D. de Test. mil.* cum stilo tumente, pingui, & multum obscuro, quo presbiter ille Carthaginienensis usus est, ut minime putarim, cum Pamelio, Priorio, & Guilielmo Caveo *Antiq. Patr. Tom. I. pag. 396. seqq.* ad eam discriminis rationem confugiendum esse, quod nomen Jcti *Tertyllianus* per Y exaratur: jam supra enim vidi-

mus, quod U, & Y commercia inter se exercent, & permutatione utuntur, ut *myrta*, *Sulla Sylla*, *Surus Syrus*, apud Turnebum lib. XXVIII. *Adv. c. XI.* sic *Tertyllus* pro *Tertullus* in l. 1. §. 1. *D. de Reb. eor.* & l. 29. §. 5. *D. ad L. Jul. de adult.* aliaque id genus librarii Græci in Pandectis Pifanis commutarunt, *Lysitania*, *Centyrio*, & contraria ratione, *Purrhus*, *Affurius*: ut præteream, quod Eusebius Afrum illum similiter Τερτυλλιανον vocavit, lib. IV. *Hist. Eccl. cap. II.* A Tertullo est Tertullianus. TERTULLO. ET. SACERDOTI, COS. Inscr. *Fabretti pag. 359.* vide *Salmasium ad Spartiani Hadrian. cap. I.*

Pag. 284. *Æmilium Macer* Jctus, an auctor sit *Ορνιθογονίας*, cujus meminit *Diomedes lib. I.*, se nescire *Bertrandus* ait. *Annales* autem, quorum decimum sextum librum *Priscianus lib. X.* laudat, ei tribuere non veretur. At *Cl. Brokhusius ad Tibulli lib. II. Eleg. 6.* *Æmilium Macrum* erudite ostendit, multi nominis fuisse *Poetam*, *Virgilio*, & *Tibullo* æqualem, adeoque diversum a nostro, quem sub *Alexandro Severo* floruisse, ex l. 1. *D. si pend. appellat.* & l. 3. *C. de Calumniat.* apud *Augustinum* supplenda, constat. *Poetæ* illius *Veronensis*, præter *Servium ad Virgil. Ecl. V. vers. 1.* & lib. I. *Æneid. vers. 439.* *Isidorum XII. 4.* & *Grammaticos*, *Ovidius lib. II. Amor. eleg. 18. vers. 3.* & *IV. Trist. 10. vers. 44.* meminit, ejusque fragmenta, cum cæteris veterum *Poetarum*, *Stephanus*, *Almelovenus*, & *Maittaire* ediderunt. *Annales* autem num *Æmilii*, an *Licinii Macri* sint, *Vossius* dubitat lib. I. *de Histor. Lat. cap. 16.* Ego, licet non ignorem, *Rutilium*, aliosque Jctos rerum Romanarum historiam scripsisse, posteriori eos tribuo, quem *Dionysius Halicarnassensis* inter scriptores annalium haud ignobiles recensuit; cui etiam in fragmentis historicorum annales assignantur, apud doctissimum *Wasse ad Sallust. part. 2. pag. 235.* Denique rem omnem conficit *Nonius*, qui *Æmilii Macri Theogoniam*, *Licinii Macri* vero *Ornithogoniam*, & *Annales* laudavit. Ingens vero adulatio plane obnoxium arguit *Aulum Æmilium Macrum*, aut ipsum Jctum, aut Jcto æqualem, qui in lapide apud *Sponium pag. 271.* *M. Aurelio Antonino Principi* juventutis *Numinis presentis*, & *conservatoris vitæ*, atque *dignitatis suæ* elogium tribuit, *Sabino*, & *Cornelio Anullino CSS.* hoc est *A. U. 968.* qui ultimus est imperii *Caracallæ. vid. l. 1. C. de Postul. l. 8. C. de legat.*, & *Gruter. pag. 261.* Alius est *Æmilium Macer* de *Herbis*, quem, inter *Medicæ artis principes*, *Henricus Stephanus*, & *Aldus Manutius*, cum commentariis *Atrotiani*, vulgarunt. An Jctus *Macer* scripserit *ad legem vicensimam hereditarium*, uti refert *Augustinus*, an vero *ad legem vicensimam*, vide *Joh. Frid. Gronovium de pecun. vet. lib. III. c. 13.*

Pag. 285. *Hermogenianum* Codicis *Hermogeniani* recte suspicatur esse auctorem, pessime eundem inter *Alexandri consiliarios*, & in

in numero discipulorum Papiniani recenset, quum solas fere collegerit Diocletiani, & Maximiniani constitutiones, & vixerit sub Constantino, ejusque liberis: id quod fragmenta ejus, & vocabula intuenti satis apparet, & locus postremus in indice Pandectarum ei assignatus confirmat. Aliis quoque argumentis eruditissimus Jac. Gothofredus, tum in *Prolegomenis ad C. Th. cap. I.* tum in *commentario ad l. 16. C. Th. d. Appellat. & ad l. 1. ejusdem C. de præbendo salario*, quantum satis est, evicit, quo cum vir Cl. Antonius Schultingius *Jurisprud. ante-Justin. pag. 683.* conferri debet. Deceptus est Augustinus interpolato Lampridii loco, in quo membranæ Regiæ, Palatinæ & Puteanæ Hermogenem nullum agnoscunt. Vixisse autem hujus nominis virum, sub Alexandro clarum, admodum verisimile esse videtur, quia paullo ante eum Antoninus Caracalla Hermogeni cuidam rescripserat, in *l. 2. C. Si certum petat.* forsan ut amplius deliberandum sit, an omnes in albo illo Lampridii *Alex. c. 68.* palam adulterini sint, & eradi debeant. Barnabas Briffonius *lib. VIII. de V. S.* eum Caracallæ temporibus vixisse, ex *l. 14. §. 4. D. ad SCTum Trebell.* constare putat, ubi Imperatoris nostri fit mentio, cum Divo patre rescribentis. Verum accedo Cujacii sententiæ, qui *lib. II. Observationum cap. 27.* mendosam hujus capituli inscriptionem pronuntiat, unamque legem in duas secandam esse adfirmat. Porro a sacris Christianorum alienum fuisse Hermogenianum, recte Ægidius Menagius *cap. XI. Amœnit.* adversus Bertrandum disputavit: cuius sententiam, præter ea, quæ Rævardus observavit, *lib. I. Conject. c. 2.* firmo ex Lapide Romæ reperto, apud Reinesium *Class. I. Inscript. 39.*

MATRI. DEVM. MAGNAE  
IDAEAE. SVMMAE. PA  
RENTI. HERMAE. ET. ATTIDI  
MENOTYRANNO. INVICTO  
CLODIVS. HERMOGENIANVS  
CAESARIVS. V. C.

Complures Hermogenes, & Hermogenianos vir eruditissimus Th. Reinesius in *Commentario ad h. l.* pariter, ac *Epist. LXIX. ad Rupertum* collegit, eorumque stemma contexit. Huic etiam Clodio, vel ejus sive patri, sive patruo, compilationem Codicis Theodosiani multa probabilitate tribui posse contendit: saltem inter omnes nunc constat, familiam gentilem fuisse. A Gothofredo non multum abit Guido Pancirolus *lib. II. Thes. var. lect. cap. 257.* quando Anicium Hermogenianum Olybrium, Probi filium, Consulem sub Valentiniano, & Valente A. Chr. 395. & JCTum, & Codicis Hermogeniani compilatorem facit. Vixit enim is eodem, quo Clodius tempore, a Claudiano, Marcellino, & Hieronymo laudatus. Apud Gruterum *pag. 342. n. 6. ANICIVS. HERMOGENIANVS. OLYBRIVS. V. C.*

CONSVL. ORDINARIVS. Nec temporis ratio obstat: Codicis enim Hermogeniani primus meminit Cœlius Sedulius, seculi quinti ineuntis scriptor, *præfat. Operis Paschalis ad Macedonium: Cognoscunt,* inquit, *Hermogenianum, doctissimum Juris latorem, tres editiones sui operis confecisse.*

*Pag. 286. Q. Claudium Venulejum Saturninum* non alium a Venulejo fuisse, putat Augustinus, & sequitur Merillus *lib. VIII. Obs. cap. 1.* At Claudium a Venulejo Pancirolus *lib. II. var. lect. cap. 139.* distinguit; Guil. Grotius vero *lib. II. cap. II.* tres facit, *Quintum, Claudium, & Venulejum Saturninos;* cujus inventi gloriam ei non invidemus. Hoc certum esse videtur, Claudium Saturninum sub Pio, & Divis fratribus vixisse, ac Prætura functum, *l. 1. §. 2. D. quæ res ping. l. 6. & 7. D. mand. l. 4. pr. D. de Legation.* Venulejus autem Saturninus, Antonio Caracalla, & Alexandro imperantibus, floruit, quod præter Lampridium *cap. ult.* eorum rescripta indicant, in *l. 1. C. de Excusar. veteran. & l. 1. C. Quib. non obiic. long. temp.* Tertullianus bis meminit viri præstantissimi, *Claudii Saturnini,* qui librum de coronis composuit, *pag. 249. & 375. edit. Rigalt.* Ad alium Saturninum Plinii epistolæ extant, *V. 9. IX. 38.* Alios Venulejæ gentis Fabrettus collegit *pag. 47. 48.* Recte igitur duo illi separantur in inscriptione *l. 15. & l. 16. D. de Pœnis.* Caput, & fons confusionis est, quod Librarius, in indice Jctorum, duorum libros ad unum pertinere credidit, simili errore, quem in *Aquila* supra vidimus. Labittus equidem hunc lapsum vitavit, Claudio inserto, sed male postea ex Venuleii Saturnini libro singulari de Pœnis paganorum nullas leges desumptas scribit, cum neq̄ ullæ sumi potuerint.

*Pag. 287. Herennius Modestinus* primum Alexandro a consiliis, deinde Maximini præceptor, & tandem Gordiani ætate ultimus fuit, quocum cessim, & retro collapsa jurisprudentia, oracula Jctorum obmutuerunt. Dignus profecto fuit Gordiani elogio in *l. 5. C. ad exhib.* cujus *l. 2. C. de his, quæ sub modo.* Cujacius *lib. XXIII. Obs. c. 5. ex Modestini l. 16. D. de usufr. leg.* illustravit. Fuit Græce peritus, & magnus cautionum artifex, in quibus magna pars officii Jctorum consistebat. Plures quoque apud eum unum, in libris Pandectarum, reperiri definitiones, quam apud alios omnes, Merillius observavit, *lib. VIII. Obs. cap. 32.* Nos in ejus memoriam insignem commendamus inscriptionem, a Fabretto allatam *pag. 278.*, in qua: *ÆLIVS. FLORIANVS. HERENNIVS. MODESTINVS. ET. FALTO. RESTITVTIANVS. P. P. V. V.* controversiam inter magistrum fontanos, & fullonum collegium, decem, & octo annis, ex consulatu Alexandri Aug. II. & Marcelli II. usque ad Peregrinum, & Æmilianum Cos. sive ex A. U. C. 978. ad A. U. C. 996. ventilatam, sua sententia deciderunt; post Gordiani tempora, sub Philippo

Im-

Imperatore, circa A. Chr. 244. Modestinus dixit: *si quid est iudicatum, habet suam auctoritatem* &c. Sigla autem illa P. P. V. V. *prudentissimos viros* elogio Jctis proprio, explicare posses; aut præstantissimos, vel primarios, ut in marmore Gruteri p. 343. n. 2. Quod si vero cum aliis *perfectissimos* intelligas, ut in titulis p. 34. n. 5. & 281. 7. Sic quodammodo liqueret, Modestinum tum temporis Dalmatiæ Præsidentem fuisse, quo munere, vivo Ulpiano, eum functum esse ex l. 52. §. 20. D. de Furr. a quibusdam colligitur: Qui enim extra Senatum ad regendas provincias mittebantur, titulo *Perfectissimi* honestari solebant, & specialiter Dalmatiæ præsidēs ita vocatos, ex notitia imperii constat, docuitque Jac. Gothofredus ad C. Th. rit. de *Perfectissimatus dignitate*. Sed mera hæc Bertrandi conjectura est solius vulgatæ fide subnixa, quæ in d. l. 52. habet: *quod & Herennio Modestino, Proconsuli me de Dalmatia consulenti rescripsi*. Rectius Florentiæ legitur: *quod & Herennio Modestino, studioso meo, de Dalmatia consulenti rescripsi*: ex quibus facilius Modestinum natione Dalmatam confeceris, quam Dalmatiæ Præsidentem, quod & ætas illius recusat.

Pag. 291. *Tarruntenus Paternus* quo tempore vixerit, incertum esse pronuntiat; sed testem habemus Lampridium, Commodi imperante, eum præfectura prætorii functum, & propter malum consilium interemptum esse, *eius vita cap. 4. Crudelis vita Commodi, Quadratum, & Lucillam compulit ad ejus interfectionem consilia inire, non sine Præfecti prætorio Tarrunteni Paterni consilio*. Ita princeps editio habet, ait Casaubonus: sed scribe Tarruntii Paterni, ut legitur in Digestis. Similiter Politianus, Rutilius, & Labittus: Dio Cassius autem lib. LXXI. Ταρρουντιον Πατερνον Haloander Tarruntinum vocat, Cujacius ad l. 6. C. de excus. mun. forsan T. Arruntenum Paternum ait appellari debere, uti ex Tito Aburnio Taburnis factus est. Alii rursus Tarrutinum, alii Tarentinum vocarunt; Reinesius lib. III. var. lect. c. 2. pag. 340. Tarrutinum, vel Tarruntium Paternum, Epistolarum Latinarum D. Marci primum magistrum, post Præf. Præt. sub Commodi appellat. Verum autem ejus nomen jam olim Godescalcus Stewechius ad Vegetium lib. I. cap. 8. ex Florentino manuscripto indicavit, in quo Tarruntenus habet inscriptio l. 7. D. de Re milit. & l. 8. D. de Jure immunit. etiam in indice, Pandectis præfixo, est Ταρρουντιος, cui codex Palatinus Lampridii, una littera excepta, adstipulatur, quem Salmasius, & Gruterus sunt secuti. Tarruntii Tarrutenii viri Cl. sed ætate posterioris, mentio fit apud Gruterum pag. 471. n. 8. Lucius etiam Tarrutius apud Plinium, Tarruntius apud Solinum memoratur, sed qui Græce de astris scripsit. De Paternis plura habet Reines. ad cl. I. n. 16. ubi Paternum Jctum eundem cum

Præfecto Prætorio facit, sed male *Tarentenum* vocat. Ad alios Paternos Plinii IV. 14. VIII. 16. Symmachi V. 58. seqq. & Ambrosii 66. epistolas habemus.

Pag. 291. *Aurelius Arcadius Carisius* sine adpiratione, quia a *Karus*, vel *Carus* est *Carisius Carissimus* uti innumera cipporum exempla produnt. Alii autem videntur esse *Charissimus* in inscriptione l. 9. C. de Quæst. & *Chresimus*, in l. 27. C. de Pact. licet Pancirolus lib. I. var. lect. c. 79. nomen Jurisconsulti ibi corruptum putarit. Hic in ultimum locum merito conjectus est, quia suppar Hermogeniano, sub Constantino, ejusque liberis floruit. Suboluit id Cujacio, cum lib. VII. Obs. cap. 2. quanquam sine teste, eum Christianum facit. Guilielmus etiam Grotius lib. II. cap. XI. n. II. propter voces barbaras *Participales, regimentum* &c. eum posterioris ævi esse vidit, in cujus judicio plerique acquieverunt, aliis eum ad Cari, & Carini, aliis ad Diocletiani imperium referentibus, propter inscript. l. 4. C. de Calumniat. Sed veræ ætati, sæculo scilicet post natum Servatorem quarto, Carisium reddidit Jacobus Gothofredus, vir eruditissimus, ad l. 16. C. Th. de Appellationibus, quum enim ante quæsitum fuisset, an jure liceret, a Præfectis Prætorio appellare, Carisius refert, publice Sententia Principali lecta, appellandi facultate interdictum fuisse, in l. un. §. 1. D. de Off. Præf. Præt. Idem tradit Hermogenianus æqualis, in l. 17. D. de minor. Princeps autem, cujus statim in sequentibus Arcadius meminit, est Constantinus, qui ita sanxerat: *A Præfectis Prætorio, qui soli vice sacra cognoscere vere dicendi sunt, provocari non sinimus*. l. 16. C. Th. de Appellat.

Pag. 292. de Appio Claudio disserit, qui a ventre *Crassus*, a luminibus in senio amissis *Cæcus* dictus est: sed

*Multum animo vidit, lumine captus erat.* cecinit Naso lib. VI. Fast. vers. 204. Hic enim fastos, & legis actiones primus composuit, viam Appiam stravit, & alia præclare gessit, quæ ex l. 2. §. 36. D. de O. J. & l. 1. §. 5. D. de Postul. aliisque, una cum ejus honoribus, repetita sunt in marmore Gruteri pag. 389. n. 4. quod olim Florentiæ apud eruditissimum Petrum Victorium legebatur, nunc apud magnum Etruriæ Ducem cernitur hoc modo:

APPIVS. CLAVDIVS

C. F. CAECVS

CENSOR. COS. BIS. DICT. INTERREX. III  
PR. II. AED. CVR. II. Q. TR. MILL. III. COM  
PLVRA. OPPIDA. DE. SAMNITIBVS. CEPIT  
SABINORVM. ET. TVSCORVM. EXERC  
TVM. FVDIT. PACEM. FIERI. CVM. PYRRHO  
REGE. PROHIBVIT. IN. CENSVRA. VIAM  
APPIAM. STRAVIT. ET. AQVAM. IN  
VRBEM. ADDVXIT. AEDEM. BELLONAE  
FECIT.

Ple-

Plerisque hæc inscriptio thesauri instar visa fuit; sed Augustinus jam olim *dial. X. Antiq.* dubitavit, an tempore Appii, immo Ciceronis, posita fuerit; quia nullum antiquioris Orthographiæ continet vestigium, nec ea scribendi forma vetus est observata, quæ in C. Duilii columna rostrata cernitur, qui Appii fuit æqualis; nec brevitate, vel elegantia commendatur. De fide ejus Pighius etiam dubitavit *lib. V. Ann. ad A. 461.* & ad spurias eam rejecit Gudius *Inscript. pag. 373.* Corradino autem prisca videtur, *vet. Latii lib. II. c. 20.* Is vero Appius quatenus litteræ caninæ R inventor dici possit, quæritur. Augustinus & hic, *et dial. X. Antiq. pag. 166.* multis rationibus adjectis, falsum esse pronuntiat, eam, ut novam, ab ipso primum repertam esse; laudatus idcirco ab Ezechiele Spanhemio, *Dissert. II. de Præstantia, et usu numism. pag. 109,* qui tamen simul Pomponium erroris accusat, cujus verba ille tantum mendosa esse dixerat. *Ira errare, inquit Spanhemius, ex nummis liquebit, Pomponium, qui l. 2. §. 36. de origine juris tradit, Appium Claudium, eumque non veterem illum, sed recentiorem, litteram R invenisse; quod cum eodem longe antiquior Romæ, Romuli item, ac Remi appellatio, tum ætatum omnium numismata, ærea, ac argentea, omnino refellunt; ut jam monuit vir præclarus Antonius Augustinus.* Verum si addas, cum Pomponio, Appium Claudium usum Litteræ R in quibusdam vocabulis invenisse, qui prius non erat, ut pro Valesiis Valerii, & pro Fufiis Furii dicerentur, nihil dixeris a veritate historica alienum. Spanhemium quoque hoc monuerat vir Cl. Antonius Maria Salvinus; at ille nihilominus, in *addendis ad Tom. I. morosius* urget, aliud esse litteram R invenire, aliud mutare, & Pomponium generaliter loqui: sed quia hic post *invenit*, illico subjungit, *ut pro Valesiis*, satis aperte mentem suam explicasse videtur. Idem ex aliis patet, qui litteræ hujus meminerunt, dum iisdem fere exemplis, cum Pomponio, utuntur, in quibus princeps mutatio est facta, licet ea deinde ad alias voces propagata sit, auctore Varone *lib. VI. de LL. Quintilianus lib. I. Institut. orat. cap. 4. Ut Valesii, et Fufii in Valerios, Furiosque venerunt; ita arbos, labos, vapos, etiam et clamos, ac lases ætatis fuerunt.* Liv. *lib. III. cap. 4. Furios Fufios scripsere quidam; id admoneo, ne quis immutationem virorum ipsorum esse, quæ nominum est, putet.* Festus de Aurelia familia, qui ex hac *Auseli dicebantur, ut Valesii, Papisii.* Macrobius *lib. III. Sat. cap. 2. Aras dici ceptas, ut Valesios, et Fufios dictos prius, nunc Valerios, et Furios dici.* Hoc amplius: tantum abest, ut Ciceronis Chronologia Pomponio repugnet, sive, ut Augustinus ait, *tempus abnuat*, ut ille *lib. IX. ad Pætum Epist. 21.* idem tempus signet, quo Papisii in Papirios mutati sunt: *L. Papirius Mugillanus, qui consul cum L. Sempronio Atratino fuit, cum ante censor*

*cum eodem fuisset, annis post Romam conditam CCCXII. Sed tum Papisii dicebamini; post hunc XIII. fuerunt sella curuli, ante L. Papirium Crassum, qui primum Papisius est vocari desitus. Is dictator cum L. Papirio Cursore, Magistro equitum factus est, annis post Romam conditam CCCCXV.* Iisdem vero temporibus vixit noster Appius Claudius; ad quem si cum Pomponii defensore, Petro Fabro *lib. I. semestr. cap. 9.* Litteræ illius productio referatur; non indigemus emendatione Augustini, pro *idem* reponentis *item*, nec aliorum commentis, quæ vir Amplissimus Cornelius Van - Bynkershoek examinavit, in *prætermissis ad Pompon. pag. 59.* Cæterum Appius ab Æolibus, aut ab Atticis mutationem illam hausisse videtur, qui Σ in P mutarunt, docente Mureto ad Pomponium *t. IV. Thes. pag. 170.* & Meursio *Miscel. Lacon. lib. II. c. 8.* Meliore etiam conditione littera hæc canina, ut ut pronuntiationis difficilis, usæ est, quam tres illæ, digamma, antistigma, & jota, a stolido Claudio Imperatore adjectæ, quæ usui, imperitante eo, post oblitteratæ, ut Tacitus auctor est, *lib. XI. c. 13.*

*Pag. 295. Manius Manilius, Ciceroni princeps civitatis dictus lib. I. de Finibus cap. 4.* inter eos hic numeratur, qui fundaverunt jus civile; dignus profecto, cui nomen suum vindicemus. Multi *Marcum* appellarunt, quos Briffonius *lib. IX. de V. S. & Bertrandus* secuti sunt. Petrus autem Victorius ad Varronem *de R. R. lib. II. cap. 3,* & Cujac. *lib. IX. Obs. cap. 3. Mamilium;* Erasmus, Forsterus, & Guil. Grotius *Manlium.* Primus error inde enatus est, quod veteres Marci, & Manii prænomina eadem littera M significarunt; ita tamen, ut Manius adjecta lineola M' a Marco distingueretur, auctore Sigonio *cap. 3. de Nomin. Rom. & Paullo Manutio ad lib. VI. ad Atticum Epist. 3.* Manii autem nomen iidem duumviri Manlio nostro, ex Tabula Capitolina, erudite afferuerunt; ille ad Livii Epitomen, *lib. XLIX.* hic ad Ciceronis *lib. VII. fam. ep. 22.* Atque ad eum modum nummus æneus apud Golzium in *Fastis pag. 139.* explicandus est, in quo rostrata navis, & Herculis clavigeri caput, cum verbis *M. Manili* Roma conspicitur. Victorius autem, & Cujacius Manilium nostrum cum Mamilio confudisse videntur, celeberrimo Legis Mamilie de limitibus, sive Plebisciti a Cicerone *lib. I. de LL. c. 21.* Siculo *pag. 8.* Frontino *de limit. agror. pag. 40.* Aggen. Urbic. *pag. 53.* & Simplicio *pag. 83.* laudati, auctore; qui *C. Mamil. Limetanus* in elegantissimo nummo, apud Fulvium Ursinum *de familiis Roman. pag. 163., & C. Mamilium Limetanus Tr. pl.* apud Salustium *Bello Jugurth. cap. 44.* vocatur. Neque vero is *Limitaneus*, a lege de limitibus agrorum rogata, dictus est, uti Merula *de LL. cap. XI. §. 2.* & Gravina *Orig. lib. II. §. 38. pag. m. 273.* statuunt, sed *Limetani*

cognomen jam ante familiae erat tributum, V. Davis. ad *Ciceron. d. l.* & Goef. ad *rei agrar. auct. pag. 182.* Manliorum denique, & Mamiliorum profapiam diversam fuisse, ex utriusque nominis explicatione apud Sextum Pompejum tam clare observare licebit; ut vix excusari possit Alexandri Nigri J. U. D. hallucinatio, qui cum professa opera Mamiliorum historiam sibi pertexendam sumisset, Limetanum *Manilium*, & Jctum nostrum *Marcum* appellavit, in *Marmoribus Felsineis Malvasiae pag. 290.* Sed quid facias, quum codices MSS. Graeci, ac Latini *Mamilios*, *Mamilios*, & *Manlios* confundant? Jac. Gothofredus ad *l. 3. C. Th. fin. reg.* legem Manliam de limitibus vocat, quam Quintilianus de honoribus, aut imperiis fuisse, ait, *lib. II. Inst. c. 4.* Schottus *Mamilium Suram* apud Plinium, in indice Scriptorum *lib. 8. & 10.* male *Manlium*, & *lib. X. c. 2.* *Mamilium* Senatorem Manium vocat: ipseque Augustinus noster de *LL. Mamiliam*, *Manliam* & *Manliam* leges non satis distinxit, recte autem disputavit contra eos, qui *Mamilianas* venalium vendendorum leges, apud Ciceronem, & Varronem substituere maluerunt, quarum auctor est Manius Manilius Jctus, inter principes civitatis.

*Pag. 297. ad Servii Sulpicii, Q. F. Lemonia Rufi*, laetum pariter, ac venerandum nomen progredior, quod totum nobis Cicero *Philipp. IX. cap. 7.* ex decreto Senatus servavit. Vocem *Lemonia* tribum indicare, Bernardinus Rutilius non intellexit: at legis Serviliae fragmentum apud Gruterum *pag. 506.* ad integram cujusvis descriptionem Patrem, Tribum, Cognomenque requirit; ac multi lapides ejusdem operis aeterni eandem tribum ostendunt, *pag. 23. n. 2. M. RVSPIVS. M. F. LEMONIA. VLPIANVS.* Post Tullium igitur auctorem, nil causae est, cur Porphyrio Horatii Scholiastes nos moretur, qui ad *lib. I. Sat. 3. vers. 130.* Alfenum Varum *Marco Sulpicio* Jurisconsulto usum esse scribit. Praenomen enim hoc, sive ipsius, sive librariorum culpa ex voce *magistro* apud Acronem, enatum est, cujus scrinia is compilavit. Servii autem praenomen tam familiare fuit Sulpiciis, quam Appii Claudiis, nosterque in Pandectis sapius, eo solo, pariter ac Servius, Rex Romanorum, in historiarum monumentis designatur. Galbam item, non ad Sulpiciorum, sed *Σερπίων δίκον* retulit Plutarchus; hinc etiam inter tot Servios, rariore exemplo, duplici praenomine opus fuit, quo a se se invicem distinguerentur. Apud Cornelium Nepotem, in vita Attici, *M. Servius Sulpicius*; apud Ciceronem *lib. I. de Orat. Q. Servius Sulpicius Galba*, a Ruperto *Epist. 60.* ad Reinesium sunt observati. Fulvius item Urfinus, in Sulpicia gente, L. Servium Rufum, in prisca denaris conspicuum, ex Livio, Afconio, & Obsequente illustravit. Singularis autem Ezechielis Spanhemii *Dissert. X. de Praestantia,*

*U. usu numism. pag. 27.* est observatio, Sulpiciae Ruforum familiae hoc amplius proprium fuisse, ut vicem omitti nominis gentilis vox Servii aliquando expleret, quique aliud huic Lucii, vel Marci nomen praemississent, a Sulpicii nomine abstinere. Quicquid ejus est, hoc satis apparet, falli Urfinum, & qui eum secutus est, Laurentium Begerum *Thef. vandenb. part. 2. pag. 587.* quod nummum jam laudatum, vultumque ei impressum, ad Servium nostrum, cui Sulpicii nomen propalam & repetita vice dat Cicero, referendum putarunt; & laetor viro praeclearo, Jacobo Gronovio, *tomo III. Thesauri antiq. Graec. ggg.* idem adversus Joh. Fabrum visum fuisse, qui similiter in verba Urfini jurarat. Miror autem ipsum praeteriisse magni parentis ea de re iudicium ad *Liv. lib. IX. cap. 36.* *Nec quod duplici praenomine simul usi Romani, exemplum est ullum, praeterquam quod fingunt, Servii Sulpicii, de quo alias disputabimus.* De statua ipsi ex SCto pro Rostris posita, cujus Pomponius meminit in *l. 2. §. 43. de O. J.* ejusque inscriptione ficta apud Reinesium *cl. VII. Inscript. 30. tom. V.* plura dicam; ubi nec Augustinus in eo me habebit adficientem, quod *pag. 372.* Servianam actionem, ab hoc Servio, Jcto, nomen accepisse arbitratur; quia didici ex Ciceronis *orat. pro Murena cap. 20.* ejus sortem in Praetura non fuisse juris dicendi, quam omnes necessarii ei optarant, sed peculatus; *Quid tua fors? tristis, atrox, questio, peculatus; ex altera parte lacrymarum, & squaloris, ex altera plena catenarum, atque indicum.*

*Pag. 304. Masurius Sabinus*, licet in Pandectis Florentinis duplici SS scribatur, mavult tamen Augustinus simplex, Persii auctoritatem secutus. At quia dici posset, aliquid dedisse Aulum poeticae licentiae, & dissentiens Bertrandus in manuscripto suo legerat *Masura rubrica servavit*, quidam etiam alii, ut Gellius *lib. III. cap. 16.* Servius ad *II. Aeneid. vers. 225.* & Macrobius *lib. III. cap. 6.* eandem cum librario Florentino orthographiam sequuntur, operae pretium erit, eam in rem diligentius inquisivisse. Non hic basin marmoream testem ciebo, Romae Vespasiani tempore inscriptam, apud Gruterum *pag. 240. & 241.* in qua bis *Masurius* legitur; alius enim adest lapis, memoratu dignissimus, *pag. 535. n. 2.* ejusdem operis, duobus geminis Cos. C. nempe Rubellio, & C. Fusio Cos. A. U. C. DCCLXXXII. hoc est eodem, quo Masurius noster vixit, tempore positus, ex quo simul ipsius praenomen Marci, & filiam, nisi fallor, intelligemus, una cum marito, patriae paupertatis ex asse heredem, de qua Pomponius in *l. 2. §. 47. de Orig. Juris* scribit: *Sabino nec amplae facultates fuerunt, sed plurimum a suis auditoribus sustentatus est.* Verba marmoris apponam, obtestatus iudices qui erunt, bono ut modo luam, si quid in hac conjectura peccavero:

Q. CAETRONIVS  
 Q. F. PVB. PASSER  
 MIL. COH. IIII. PR. ANNIS. XVIII.  
 MISSVS. DVOBVS. GEMINIS. COS.  
 SIBI. ET  
 MASVRIAE. M. F. MARCELLAE  
 VIXI. QVOD. VOLVI. SEMPER. BENE  
 PAVPER. HONESTE. FRAVDAVI  
 NVLLVM. QVOD. IVVAT. OSSA. MEA.

Similem in modum Plinius sæpius simplici S Masurius auctor est, lib. VII. Hist. nat. cap. 5. 43. & lib. XV. cap. 29. 30. Arrianus quoque *Epict.* lib. IV. cap. 3. fin. Μασουρίσ, καὶ Κασσίσ Jurisconsultorum meminit; Scholiafles Perfi ad *sat. V. vers.* 88. Masurius Sabinus, legis consultus: ita Nonius pag. 168. vers. 23. edit. Paris. & Pontanus apud Macrobius lib. III. cap. 6. sic legendum monet: nec amplius dubitandum est, quin librarii Florentini litteras illas eadem ratione geminarint, qua in *querella, sequella, Catillina, Mercennarius*, aliisque. Quod vero Athenæus lib. XIV. cap. 5. scribit: Μασούριος ὁ πάντα ἀριστός, καὶ σοφός, καὶ γὰρ νόμων ἐξηγητὴς ἕδενός δεύτερος, καὶ περὶ Μασουρίων, ἐνδιατρίβων ἄει. Masurius vir longe optimus, & sapiens, qui & interpret legum fuit, nulli secundus, Musicis assiduam operam navavit, licet ab hac quæstione orthographica non alienum sit, ad nostrum Jctum male ab Augustino, Cujacio, Bertrando, Pontano, aliisque refertur; a quibus Vossius de *Histor. lat. lib. I. cap. 21.* Robertus ad *Mercator. lib. I. c. 17.* nec non clarissimus collega noster, Carolus Andreas Dukerus pag. 158. de *latinitate Jctorum*, recte divertunt. Fingit enim Athenæus Larensem, civem Romanum, tempore Marci, fortunis splendidum, eruditissimos quovis disciplinarum genere convivas, tum viventes, ad se vocasse, quos inter breviori in argumento operis primum locum obtinuisse visus est Μασούριος νόμων ἐξηγητὴς, καὶ πάσης παιδείας & παρέργως ἐπιμέλειαν ποιούμενος, Masurius, legum interpret, in omnibus disciplinis versatus diligenter. Simili errore Cujacius, & Scipio Gentilis Ulpianum, loquacem rhetorem Athenæi cum Domitio Ulpiano confuderunt, ut infra, ad Lectii orationes, dicemus. Cæterum cautio est, ne Masurium hunc Sabinum, Tiberii ævo clarum, cum Cælio Sabino, qui sub Vespasiano plurimum potuit, aut cum Flavio Sabino, Sabini insignis viri filio, & temporis sui Catone, qui in Papiniani consilio fuit, & sub Caracalla Consulatum gessit, & ab Heliogabalo occisus est, confundamus, de quo accipienda est l. 1. C. de *Jurisd. omn. jud.* l. 6. C. de *Pæn.* Lampridius in *Alex. Sev. c. 68.* & Heliogab. cap. 16. Non etiam Masurius memorabilium, sed *Memorialium* libros scripsit, uti Gronovius ad *præfationem Gellii* pag. 6. ex antiquissimis Macrobi, & Gellii codicibus contra Casaubonum disputavit. De libris ejus affessoriorum multa Penenonius, lib. II. *Animadv.* c. II. Fragmenta ejus Ric-

Tom. I,

cabonus, Gruterus, Dan. Guil. Mallerus, & Wasse ad *Fragm. Histor.* post Sallustium pag. 281. collegerunt.

Pag. 316. *Cartilii* nomen, numquam ante editum, ut nosceremus, primus effecit noster lib. III. *Emend. cap. 6.* Cujacio adplaudente lib. I. *Observat. cap. 9.* *Cartilium* ab oblivione Ant. Augustinus vindicavit, *Jurisconsultus elegans, & tersus.* Nec minore gloria Cujacius ibidem Fufidium in lucem protraxit. Quod autem is dubitanter scripserat, forsitan hunc esse eundem, quem M. Tullius in aliquo patronorum numero fuisse, ait, id Augustinus pag. 316. infra, suum fecit, nullo vicissim ei honore relato. Idem placuit Perrenonio lib. II. *anim. c. 23.* qui Proculum, & Atilicinum Fufidii æquales, addit, simul Cæsaris tempore floruisse. Hotmanus vero, invidia adversus Cujacium stimulatus lib. XIII. *Obs. c. 9.* non magnopere, ait, ad Tribonianicam jurisprudentiam intelligendam pertinere, utrum albus, an ater; brevis, an longus Fufidius fuerit. Deinde incertum esse, an Fufidius extiterit ullus; quia Græci interpretes, ubi in Pandectis Fufidius occurrit, Aufidium verterint, illum fortassis, cui cognomen Namusæ, intelligentes. Denique etsi detur, Fufidium Jctum fuisse, eum tamen cum Proculo ad Vitellii, & Othonis tempora videri referendum ob. l. 5. D. de *auro, & arg. leg. l. 17. D. de Pact. dor.* & nequaquam eum esse, cui Cicero, & Plinius tradunt, M. Scaurum tres de vita sua libros inscripsisse. Verum id quidem extra omnem dubitationem est, Jctum Fufidium fuisse, cujus etiam Scholiafles Βαξιλιών meminit tom. VI. pag. 285. ἐλεγεῖν ὁ Fufidius. Iisdem tamen argumentis Cujacium oppugnat Guil. Grotius, & Fufidium toto seculo juniorem, sub Vespasiano floruisse, ostendit, lib. II. cap. 4. §. 7. apud Gruterum pag. 661. n. 9. L. Fufidius Sporus, sed alius forsitan, in lapide Romano memoratur.

Pag. 320. *Vindius* Jctus ex Paulo, Ulpiano, & Mæciano laudatur; quis autem ille fuerit, aut quid scripserit, ne γού quidem. Bertrandus lib. II. c. 31. & Guil. Grot. lib. II. c. 7. §. 14. memoriam ejus recte quærunt apud Capitolinum in *Pio c. 12.* *Multa de jure sanxit, ususque est juris peritis, Vindio Vero, Salvio Valente, Volustio Mæciano &c.* Uterque autem infeliciter disputat de verbis Spartiani in *Hadr. c. 15.* *Umidium Quadratum, & Catilium Severum graviter infecurus est,* ubi prior legit: *Vindium Quadratum, & Catilium;* alter vero *Mimidium Quadratum;* Cuspinianus, & Casaubonus *Numidium*, alii *Numilium* vocant. Verum Salmasius ex libris veteribus, & Lapidibus *Ummidium* legendum esse docuit, idque gentile Quadratorum nomen Norisius de *epoch. Syro-Maced. diff. III. p. 183.* Josepho, Tacito, & Plinio ex Codicibus MSS. restituit, & tria Fabretti marmora firmant pag. 171. 172. & 673. nec ego aliter legendum putem apud Capitolin. in *Anton. Phil. c. 7.* ubi Ma-

Sss nu-



nutius ad *Ciceron. lib. II. ad Att. 23.* & *Reines. lib. III. var. lect. c. 2.* M. Ninnium reponi debere putarunt. Vides, Benevole Lector, quanta animadversionum, in primo hujus libri capite, sit messis: quod si ita in reliquis pergere velim, pro præfatione alterum volumen facile exiret. Nullum autem superest Augustini caput, quod non integram dissertationem mereatur: etiam enim is tantum valuit eruditione, quantum ex decem alii, nihilque scripsit inconsiderate, major tamen sæculi nostri est felicitas, propter tot inscriptos lapides, & nummos, recens e tellure effossos, aliaque subsidia longe auctiora: in quæ, si ille sua tempestate incidisset, nulla nobis littera, quam adderemus, relicta foret.

*Caput Secundum* Regum & Consulium nomina complectitur, quibus Romani annos suos, post ejectos Reges, singulari prærogativa designarunt. Iis explicandis inservient, qui victoris gentium populi Fastos commentariis illustrarunt, quorum antesignanus est Johannes Cuspinianus in *Chronicon Cassiodori*: deinde Carolus Sigonius, & Onuphrius Panvinius, quos *Patres Fastorum*, honoris gratia, nuncupare licet, imitatione Scaligeri *lib. V. de emend. temp.* scribentis: *Panvinium nostra ætas parentem historiæ vocare potuit*: tum Stephanus Vinandus Pighius in *Annalibus*; Antonius Pagi in *Criticis ad Baronium*, & in *Dissertatione hypatica*, & Henricus Norisius, in erudita, & ingeniosissimi laboris *Epistola consulari*, multa diligentius ad obrutam exegerunt: denique Petrus Relandus, & Th. Jansonius Almelovenius commendandi sunt; & quamvis ob mortem præmaturam manus extremas Fastis suis addere non potuerint, quicquid Augustino deest, qui non omnia Consulium paria, quæ in Pandectis occurrunt, nec cætera justo ordine retulit, ex illis, & ex Amplif. Brenemannii *Append. Fastor. Reland. p. 839. seqq.* suppleri debet. Attamen Fastos accuratos optare magis, quam sperare licet: ea fuit in veteri Rep. annalium confusio, & sub Imperatoribus scriptorum negligentia; qui modo ordinariorum tantum Consulium rationem habuerunt; modo suffectos nobis commemorarunt; modo ordinarios cum suffectis; modo unum ordinarium, & suffectum alterum. Aliquando ex ordinariis majorem, nunc alterum minorem præponi videas, sive ob fasces alternis mensibus mutatos, sive quod effectibus suis indulgent. Exempla Marcius ad Suetonii *lib. VIII. cap. 2.* Reinesius *Epist. 51.* & Fabrettus *Inscript. pag. 503.* dedere. Sunt etiam, præcipue Historiæ Augustæ scriptores, quibus satis est Consulium nomina designasse, ut *Palma & Celso*, pro *Palma & Celso Coss.* Scripsit Spartianus in *Hadriano c. 4.* ubi Casaubonus in notis: *Velim doceant me peritiores, qualem hoc loquendi sit genus: nam hic conjectore opus, non interprete*: Sed Lydiatus in *serie Summor. Magistrat. pag. 82.* A. Cornelium Palmam, & L. Publilium Celsum A. 860. Con-

fules suffocatos laudavit. Nec aliter Scipio Gentilis *lib. II. de Jurisd. c. 2. capit. l. 27. D. de lib. caus.* ubi Ulpianus *lib. 2. de Offic. Consul.* ait: *Divi fratres Proculo, & Munatio, Consulibus suffectis, rescripserunt. V. Reines. ep. ad Rup. p. 160.* Aliquando Consulium nomina tantum, sæpissime sola nomina, sine prænominibus, & cognominibus, exhibentur, in quibus supplendis Onuphrius sæpe peccavit. Argumenta ἀπιστορησίας stupendæ præbent Valesius ad Ammianum *lib. XXII. cap. 3.* & Sirmundus ad Sidonium *lib. 1. Epist. 7.* *Ausim dicere, plura Coss. paria corrupta eum nobis exhibuisse, quam restituta*, Rupertus ad Reinesium scribebat *Epist. 28.* Nec mirum illo tempore, quo inscriptiones Gruteri, Reinesii, Sponii, Apiani, Fabretti, Malvasiæ, & Gudii nondum erant impressæ, & incertitudo scripturæ rei difficultate augebatur. Multi præterea paucorum tantum dierum, vel horarum Consules fuerunt, quos inter Caninius Revulus, eodem die & consul designatus, & consularis, in quem jocus mordacissimus Ciceronis extat, apud Macrobius, qui ab Aufonio de Frontone Consule suffecto repetitus est: *Quærendum esset, quibus Consulibus, Consules fuerit. Et post hoc Cæsaris Dictatoris tempus pauci in Consulatu totum annum peregerunt; Sed quidam pluribus aut mensibus, aut diebus, variis ex causis Coss. fuerunt*, scribit Dio *lib. XLIII. qui & lib. XLVIII.* addit, suis, id est, Severi Augusti temporibus, annorum tempora a primis Consulibus numerata esse jugiter; *Cæteri vero licet Consules intra Urbem, & in Italia haberentur, a provincialibus tamen raro cognoscebantur; qua de causa minores Consules dicti sunt.* Commodus quinque & viginti in unum annum creavit; plerique vero duobus mensibus magistratum gerebant; multi honorarium Consulatum acceperunt, sine munere & potestate, ornamentis tantum Consulibus aucti.

*Pap. 325.* ex Ulpiani *l. 1. §. 2. D. de officio Questoris* mentio fit senatusconsulti, quod factum, *Decimo Druso & Porcina Consulibus*: at Pighius *lib. XVI. Annal. pag. 285.* ait, Jctorum filios hoc loco Consulium nomina depravasse, ex glossa alicujus indocti, ac *D. Bruto, & Emilio Coss.* legendum esse: hi vero A. U. 676. consules fuerunt, *Cic. in Brut. c. 47.* & *Obsequens de prodig. c. 119.* Sequens *Sulla, & Trionis* consulatus ex *l. 12. pr. D. de Accusat.* ad Tiberii ævum pertinet, A. 783. sub quo vixit Lentulus, unus ex Senatoribus natura bonus, ut ex Dionis *lib. LVII.* Cujacius observat *lib. VI. cap. 30.* & Memmio Regulo Sullæ, Fulcinium Trionem Collegam assignat. Augustinus ante Cæsares, Cornelium Sullam, & Lucretium Trionem collocat; in notis vero suffectos sub Cæsaris fuisse arbitratur, quod & vox Imperatoris satis ostendit. vid. Gruter. *pag. 1087. n. 1.* & Noris. *epist. cons. pag. 404. tom. XI.* *Th. Græv. Jam Vibii Habiti & L. Apronii,* qui

qui

qui ex l. 8. D. de *Quest.* sequuntur, in factis Haloandrinis, & Contianis ideo nulla fit mentio, quoniam suffecti, non ἐπώνυμοι fuere: id quod, post Antonium nostrum, Petrus Faber lib. III. *semestr. cap.* 12. ex lapide venerandæ antiquitatis probat, in quo simul tempus senatusconsulti a Paulo citati exprimitur DCCLX. M. FVRIVS. P. F. P. N. CAMIL. SEX. NOVIVS. L. F. L. N. EX. KAL. IVL. LAPRONIVS. C. F. C. N. A. VIBIVS. C. F. C. N. HABITVS. De Cotta & Messalla *Coff. pag. seq.* 325. laudatis, multa non pertrita attulit Ryckius ad Tacitum lib. III. *Annal. cap.* 2. Nobis sufficere tetigisse difficultatem, quæ ex temporum ratione quibusdam exurgere visa fuit. Ait Ulpianus in l. 4. D. de *Off. Procons.* his Consulibus placuisse, ut delicta uxorum, quæ in provincias comitatæ fuissent maritos, in his vindicarentur. Tacitus vero lib. III. *Annal. cap.* 33. scribit, sub Consulibus anni sequentis, velitationem ea de re in senatu fuisse. G. Panciroli *Var. lect. lib. II. c.* 14. Ulpianum putat duo Senatusconsulta eadem de re disponentia, pro uno habuisse, præsertim cum postremum Messallæ auctoritate factum fuerit. Cujacius lib. VI. *Obs.* 39. fortasse, ait, Ulpianum scripsisse: Senatum, Cotta Messalino fenatore consulente, censuisse. Reinesius *epist.* 51. ad *Rupert.* Ulpiani partes tuetur, Tacitum vero uno anno tardius rem narrare existimat, uosque forte ambos iidem auctoribus, sed alterum diligentius, alterum negligentius. Ego vero nil causæ, cur Cæcina tentare non potuerit, ut Senatusconsulto anni superioris obrogaretur, ejusque sententiam elusam esse.

Eadem pagina *Quartinus* cum C. Cassio Longino, qui Scholæ Cassianæ princeps cæteros sua tempestate legum peritia præeminuit, Consulatum gessisse dicitur ex Pompon. l. 2. §. 47. de *O. J.* qui locus adeo exercuit interpretes, ut Rupertus nullius Mancipii frontem sic compunctam dixerit. Cuspinianus pro *Quartino* legit Q. *Haterino*. Lipsius ad Tacit. lib. VI. *Annal. c.* 15. hortatur, ne temere credamus Pomponio, homini etiam alias fallaci. Ryckius ipsum castigandum potius, quam verba ejus corrigenda esse censuit. At causam ipsius diverso itinere egerunt Pavinius in *Factis* ad A. U. 783. & *comm. in l. 11. Fast.* pag. 191. Cujacius ad d. §. 47. Bertrandus de *Jurisperitis* lib. II. c. 29. & Guil. Grotius lib. 2. c. 1. Librariis errorem imputat Rupertus ad Pomp. c. 13. & *epist.* ad Reines. p. 141. nihil desiderans, nisi ut pro *Quartino* legamus *Surdino*. Idem repetit Norisius, in *epist. Consulari tom. XI. Thes. Antiq. Rom.* pag. 404. & de *Epochis Syro-Maced. Dissert. III. pag.* 180. eamque emendationem postulare videtur fragmentum *Fastorum municipium* apud Grut. pag. 1087.

L. CASSIVS. LONGINVS. M. VINICIVS. COS.  
SVF. C. CASSIVS. LONGINVS. L. NÆVIVS. SVRDINVS.

Consulatum igitur ordinarium Luc. Cassius, & M. Vinicius A. U. 783. gesserunt; quos etiam *Coff.* exhibet epigramma Sponii, a magistris fontium dedicatum, *sect. 2. Misc. art.* 7. sed Cajus Cassius Jctus, eodem anno cum L. Nævio Surdino consulatu suffecto functus est, non cum Quartino; nisi cum Panvinio, Sigonio, Golzio, Augustino, & Vossio juniore ad Vellejum Paterculum putes, Vinicius *Coff.* ordinarium etiam Quartinum dictum fuisse: sic enim Cajus Lucio Cassio suffectus cum Quartino fasces gessisset antequam huic Surdinus sufficeretur, aut Pomponius forte ordinarium cum suffecto junxit, ut annus facilius appareret: aut denique ab omni errore absolvendus est, secundum indicem consulum Dionis Cassii, in quo iidem consules ordinarii M. ΟΤΝΙΚΙΟΣ ΚΟΥΑΡΤΙΝΟΣ. Γ. ΚΑΣΣΙΟΣ ΛΟΣΣΙΝΟΣ. Sed verius est, T ibi mutandum in Λ, quia tacitus pariter, ac titulus Gruteri ordinarios Consules *Lucium Cassium, & M. Vinicium* appellavit. Adde quæ contra Vossium disputat Reinesius ad *Rupert. epist.* 31. pag. 162.

Non minor lætionum varietas circa Consules sequentes, *Vellejum Rufum, & Osterium Scapulam*, in l. 1. D. & §. 3. *Inst. de Assign. libert.* memoratos, quorum nomina non recte sic referri, monet Augustinus dict. pag. 325. & lib. III. *Emend. c.* 7. sed præter orthographiam nihil definit. Cujacius ad d. §. 3. legit *Suillo*, vel *Suilleo Ruso & Osterio Scapula*. Vulgata: *Sabellio Ruso, & Aterio Scapula*. Alii *Vellejo Ruso, & Ostilio Scapula*. Optime veteres Theophili codices: ἐν *Suillu Rusu, & Hostoinu Scapula τῶν ὑπαέτων*. Suillii Rufi consulis meminit Plin. lib. VII. c. 4. Ostoici Scapulæ vero Tacitus lib. XVI. *Ann. c.* 14. & *Agric. c.* 24., eumque Onuphrius, & Pighius inter suffectos recensent, probante Ampl. Bynkershoekio lib. III. *Obs. c.* 7. & Brenckmanno *append. ad Fast.* pag. 845.

*Senecæ* consulatum pag. 325. ex Pandectis, & Institutionibus memoratum, Aufonius dubium facere videtur, in Gratiar. actione: *Drves Seneca, nec tamen Consul*: Sed de ordinario Consulatu loquitur, & dicere potuit Seneca, quod lib. III. de *ira cap.* 31. alio sensu alios dicere culpat: *Dedit duodecim fasces, sed non fecit ordinarium consulem*. Ryckius ad Tacitum lib. XIV. *Annal. cap.* 46. annum consulatus reiicit in annum sequentem 815. quod Nero dissimulando odio, post negatum comæatum, Senecam tunc iterum honorasse, videatur. Lipsius autem magis Augustini sententiæ subscribit, in *vi-ta Senecæ cap.* 4.

Supereft de *P. Juventio Celfo* consule quædam adiciamus; quamvis enim pleraque, quæ ad hunc Jctum eximium, & sæculi sui ornamentum spectant, vir Celeberimus, nostrique ordinis decus, Heineccius, in dissertatione singulari, exhausterit, & multis parafangis superarit Brissonii industriam, qui lib.

*III. de V. S. confusam Celforum memoriam, & nominum concursu prope intermortuam, in integrum restituere tentaverat; non tamen inutile erit, ad supplendum Augustinum, tres P. Juventios Celfos, patrem, filium, & nepotem heic distinxisse. Pater nuspiam Consul fuisse legitur; tantum filius refert, eum in consilio Ducenii Veri Consulis fuisse, in l. 29. D. de leg. 2. Augustinus pag. 325. dubitat, an non ibi sit legendum *Juventii Veri*, qui temporibus Hadriani cum Ser. Serviano fasces tenuit. Guil. Grotius *de vit. Jct.* lib. II. c. 2. §. 11. conicit, Verum intelligi, qui anno ante excessum Vespasiani, cum Silvano Consulatum gessit: at cum ille non Ducenius, sed Cejonius Verus dicatur, probabilior est Cl. Heineccii sententia, Ducennium Geminum intelligentis, qui A.U. 809. cum Paullino Consul suffectus fuit. Celsus *filius* uti patris industriam vicit, ita honoribus processit longius, & iterum Consul factus est, auctore Pomponio in l. 2. §. 47. in fin. de O. J. De prioris Consulatu quærendum esse, ait Augustinus, quia suffectus fuit, & Fasti silent. Cuspinianus cum ad annum Trajani duodecimum refert, quem Guil. Grotius refellit lib. II. de vitis c. 5. Posterioris Consulatus meminere Fasti ad A. 882. tabellæ æneæ Grut. pag. 573. n. 2. & pag. 574. Ulpianus in l. 20. §. 6. D. de Petit. her. & Diocletianus in l. 3. C. de serv. reip. manum. sed de collega ejus dissentiunt: in Fastis enim Idacianis, & in lateritia inscriptione apud Fabrettum *Inscr. c. VII. pag. 506. n. 126. & 127. Marcellus & Celsus II. Consules signantur, pariter, ac in d. l. 3. In tabella autem Gruteri, & marmore Gudii pag. 307. n. 7. & in Senatusconsulto d. l. 20. Q. Julius Balbus cum Celso Consul ordinarius vocatur. Norisius *diff. V. de Epoch. Syro-Maced.* pag. 498., ut hanc pugnam tolleret, Q. Julio Balbo cognomen Marcelli, ex usu eorum temporum adhæsisse ait, sed invita prorsus tabella tertia Gruteri pag. 574. n. 4. & donec id probetur, lubentius utar Grotii conciliatione, Celsum ordinarium cum suffecto Neratio conjungi: nam Golzius in Fastis, ex tribus illis tabellis æneis, & ex SCto docet, initio hujus anni fasces gessisse *Celsum iterum, & Q. Julium Balbum*; ex Kal. Martii *T. Aufidium Frontonem, & Oenum, Severianum*, & postremo ex Kal. Novembr. *C. Neratium Marcellum, & Gn. Lolium Gallum*. Atque ita apparet, quam vere olim scripserit Alciatus, lib. V. *Parerg.* c. 10. in d. l. 20. §. 6. quatuor Consulium nomina, duorum ordinariorum, & totidem suffectorum referri, ut cum Ruperto ad Pompon. pag. 461. tria tantum nomina formare, aut cum Cl. Westelingio lib. II. *Obs.* c. 21. ad nominum exaggerationem confugere, nil necesse sit; tum quia tot Celsi cognominum nullum vestigium produci potest; tum quia haud novum est, ut suffecti plures cum ordinariis, vel sine illis memorentur. vid. Grut. pag. 189. n. 12. &**

607. Denique illa ætate vix consules in integrum annum designabantur, sed plures in diversa tempora: *quod hodieque fit*, Severi tempore scribit Dio lib. 48. His aliam observationem jungo, perperam a Cujacio in *Parat. C. lib. VII. tit. 9.* ad hunc Neratii consulatum trahi, quod Pomponius scribit in l. 2. in fin. de O. J. *Celsus Filius, & Priscus Neratius successere, qui utrique Consules fuerunt, Celsus quidem & iterum*: quamvis enim ipsi demus, Neratii Prisci Familiam Marcellorum, & Marcellum æque Jctum ejus fratrem fuisse, auctore Ulpiano in l. 12. §. 43. D. de Instr. & instrum. leg. tamen Pomponius non dicit, Celsum & Priscum simul Consules fuisse; nec dicere potuit, quia Neratius Priscus Annium Verum Collegam habuit, l. 6. D. ad L. Corn. de sic. Marcello item, Celsi Collegæ, secundi consulatus notam appositam exhibet later Musei Ciampini apud Fabrettum pag. 506. n. 127. IVVENTIO II. ET MARCELLO II. COS. nec aliter Fasti anonymi Vindobonenses, cum tamen Priscus semel tantum suffectus fuerit. Adde Pancirol. lib. II. *Var. lect.* c. 131. & Curt. lib. II. *conj.* c. 22. Denique ex hisce discimus, quam frustra fudaverit Fabrettus c. VII. *Inscript.* pag. 507. ut non Ligorii & Panvini tantum, sed etiam SCti, & tabularum Gruterianarum fidem elevarer, in quibus Q. Julius Balbus Celsi collega dicitur; qui enim Fastos anni 917. implet Marcrini & Celsi consulatus, quemque is pagina sequente *M. Pompeii, M. Acirini, & P. Juventii Celsi* fuisse ex latere sincero ostendit, non ad Celsum filium, sed ad nepotem deferri debet, eundem scilicet, qui in lapide Gruteri pag. 607. biennio nondum elapso A. U. 907. Promagistri officio functus fertur, vulgo autem a viris eruditis, ut Pancirol. Grotio, & Menagio confunditur cum Celso filio, qui & *adolescens* vocatur in l. 91. §. 3. D. de V. O. hujus autem fuit pater.

*Capite tertio* Augustinus nomina proposuit Imperatorum, qui a Julio Casare ad Alexandrum in Digestis laudantur; latius vero postea processit industria Wolfgangi Freymonii in *Symphonia juris*, qui ex Codice similiter Principum nomina adjecit. Parcior hic etiam est Augustinus in notis, unde quæ ad ætatem singulorum pertinent, quo anno, & die quisque natus, adoptatus, ad imperium evectus & mortuus fuerit, aliunde suppleri debet. Quantum in hoc studiorum genere præclaro, valuerit Antonius Pagi, ejus *Dissertatio hypatica* ostendit, nec minus erudite Johannes Vignolius, in dissertatione *de Columna Imperatoris Antonini Pii*, binisque dissertationibus *de Anno primo Imperii Severi Alexandri Aug.* & Norisius plus semel, in *Epochis Syro-Macedonum* spartam suam ornarunt. Docet nos Lampridius, post obitum Antonini Pii nomen Antoninorum tam amabile fuisse, ut eo qui non uteretur, mereri non videretur imperium: unde præter Pium, Mar-

Mar-

Marco, Commodo, Caracallæ, aliisque deinceps illud commune factum est, in quibus recte distinguendis aliquando cautio est adhibenda, ne tempora turbentur: nam & si plerumque aliud nomen ei jungatur, sæpe tamen nec illud sufficit; aliquando omittitur, & impio illi Caracallæ *Pii* quoque epitheton cessit: vide Reines. *Epist.* 35. ad Rupert. pag. 266. Vignolium de Columna Imp. Ant. cap. VII. pag. 112. Rævard. *lib. III. Var. cap. 9.* Spanhem. *Orb. Rom. Exerc. II. cap. 1. 25.* & Hadriani Relandi *præfat. ad Fratris Fastos.* Verus porro, & Severus Imperatores satis sunt distincti; at Salmasius ad Lampridii Commodum cap. I. Catalogum dedit eorum, qui ipsos confuderunt; quibus Alciatus annumerari potest, quod *lib. III. dispunct. cap. 8.* Verum pro Severo substituit in *l. 3. §. fin. D. de Decur.* recte ab Augustino ad *Modestinum*, & a Josepho Castalione in *Comment. de Columna triumphali* reprehensus. Videtis *Ædiles meos coloniarum cap. VII. §. 13.*

Quis porro nescit, quam anxie hæreant interpretes, an nomine Hadriani, solus ille Ælius, ex consobrina Trajani natus, veniat, an etiam filius ejus adoptivus, Antoninus Pius, sic appelletur. Sæpe enim alio loco Hadrianus, alio Pius idem rescripsisse, aut constituisse feruntur. *vid. l. 3. §. 5. D. de Sep. viol. juncto Capitolini Pio cap. 12. l. 37. D. de Judic. juncta l. 5. D. ad l. Jul. de vi publ. item §. 4. inst. l. 26. D. de fide iuss. juncta l. 49. §. 1. D. eod. Tum l. 58. §. 3. D. ad SCt. Treb. & l. 93. D. ad L. Falc. juncta l. 91. D. eod. & l. 63. §. 5. D. ad SCt. Treb. etiam l. 3. D. si pars hered. pet. juncto Capitolini Pio cap. 9. & denique pr. Inst. de SCto Tertull. juncto Ulpiano tit. 26. §. 8.* Noster Augustinus judicium suum super ea re suspendere malebat, quam temere decernere *lib. IV. Emendat. cap. 16.* Cujacius sibi non constat; *in notis prioribus, & posterioribus dict. tit.* Sed ad Papiniani Responsa, *in l. 58. §. 3. D. ad SCt. Trebell. & lib. XXI. Obs. c. 13.* nec non Rævardus *lib. III. Var. c. 10.* & Burgius *lib. I. Elect. c. 4.* per Hadrianum Antoninum Pium intellexere. Verum licet Pius, in lapidum titulis, aliquando Hadrianus dicatur, ut apud Gruterum pag. 253. n. 5. & Fabretum pag. 542. IMP. CAESAR. HADRIANI. ANTONINI. PII. vix tamen est, ut Juris consulti in tantam confusionem prolapsi sint, & forte melius dicetur, quod ab Hadriano introductum erat, id quandoque a Pio extensum, restrictum, aut diligentius constitutum fuisse: Historicos vero, diversa tradentes, parum exacte, quæ ad jus pertinent, exposuisse. *Vid. Jac. Gothofred. ad l. 6. C. Th. de sepul. viol. & ad l. 1. C. Th. de infirm. pœn.* Non etiam assentior Cujacio, ipsum Ulpianum errasse credenti, in nomine Hadriani, aut certe Marcum intellexisse, *tit. 24. juncta l. 20. D. de Reb. dub. Est, inquit, in propriis nominibus facillimus auctorum lapsus.* *vid. Merrill. lib. IV. Obs. cap. 16. Cl. Schulting. ad dict. tit. Ulpiani, & ad*

*Paul. 1. sent. tit. 20. Ampl. Bynkershoek lib. III. Obs. c. 8. fin., & Cl. Heineccium lib. III. Antiq. tit. 3. §. 3.* de Hadriano etiam conferre licebit Renatum Bottereau, in Hadriano legislatore, edito Pictavii A. 1661. & Ill. Hoffmanni *Historiæ juris adjecto, Lipsiæ 1726.*

*Caput quartum* sistit nomina Legum, Senatusconsultorum, Edictorum, Interdictorum, & Actionum quibus Respublica, Gentium domina, sapienter olim instituta fuit. Qui ante, in hac nobilissima antiquitatis parte, aliquid erant conati, ut Zasius & Rivallius, subsidiis necessariis non fuerant instructi, aut id, quod juris civilis proprium est, vix attigerant; majore autem apparatu rem aggressus est Paulus Manutius, edito de *Legibus* libello, sed qui non plagii modo a mordacissimo Robortello accusatus, sed etiam a Cujacio non leviter reprehensus est: *dum faber cum sit, alia tractat, quam fabrilis, Deus bone! quam errat sæpe, inquit lib. VI. Obs. 25.* Noster deinde Augustinus, tum in opere præclaro, de *legibus & Senatusconsultis*, tum in hoc capite ii defectus, ut sarcirentur, summa ope laboravit, nec dum vero rem tantam perficere potuit; quia homines barbari, & sacris nostris haud initiati, nomina legum ita fœdaverant, ut ne sagacissimi quidem, sine Codicum, aliorumque monumentorum ope, ignorantia tenebras dispellere valuerint. Ipse questus est, alterum legis Tarpejæ Æternæ, de multis, nomen constitui non posse, quia posterior consulum, a quo illa nomen accepit, male apud Plinium Æternus, Livium Tercinius, Dionysium Terevini, Gellium Thermus, Calliodorum Aternus, recte apud Diodorum, & in lapide Capitolino Aterius vocatur, a quo lex Ateria Tarpeja. A. U. 299. rogata est, auctore Manutio de *LL. c. 17.* Sigonio ad *Liv. lib. III. c. 31.* & Brissonio *lib. I. sel. ant. c. 3.*, quorum conjectura ex inscriptionibus, quæ Ateriorum meminere, firmatur apud Gruter. pag. 126. 531. & 670. Quis nescit, quam varie scribatur legis Remmiæ nomen, cujus Cicero pro *Roscio Amerino c. 19.* Papin. in *l. 13. D. de Testib.*, & Marcianus in *l. 1. §. 2. D. ad SCt. Turpil.* meminere, aliis *Rhemniam*, aliis *Rhenmiam*, Pighio *tom. II. Annal. pag. 485.* *Memmiam*, Ant. Sabellico *rem minimam* apud Tullium legentibus? Sed postquam secutis temporibus libri ad fidem manuscriptorum castigati, & majora nummorum, marmorumque præsidia reperta sunt, complures subtilis ingenii homines singulas sibi leges, Plebiscita, & Senatusconsulta libris singularibus diligentius explicanda sumpserunt, ex quibus magnam accessionem huic thesauro depromi posse, nemo non videt. Atque horum industria tanto magis laudanda est, quod per majorum vestigia incedunt, & navibus amissis fluitantia aplusria conquirunt. Unus Paulus olim ad legem Æliam Sentiam, Falcidiam, Cinciam, Juliam, & Vellejam libros singulares; ad unam vero legem Juliam, & Papiam libros decem, sicut Marcellus, & Mau-

& Mauricianus ad eandem sex, Cajus quindecim, Ulpianus & Terentius Clemens viginti scripserunt, quorum desiderium commentariis recentiorum lenitur. Sic legem Vellejam Taurellus, Juliam Majestatis Contius, Gentilis, & Cl. Gundlingius: Clodiam, Corneliam, & Porciam Scipio Gentilis: Vicesimæ hereditatum Balduinus, & Slevogtius: Juliam, & Papiam Poppæam Ramos del Manzano, Peyerre, Torrentius, Balduinus, Lipsius, & viri eruditissimi Jac. Gothofredus, & Heineccius: Juliam de adulteriis Briffonius: Falcidiam Duarenus, Balduinus, Goveanus, Ferretus, Ripa, Hufmanus, Cuppius, & plenius Clar. Collega noster Jacobus Voorda; Aquiliam Balduinus, Suarez, Chifletius, & præcipue Gerardus Noodt, cujus memoria ob eminentissimam eruditionem, & merita in Jurisprudentiam Cujacianam, his in oris instauratam, omnibus est venerabilis: Pompejam Joh. Franc. Ramos, & Solorzanus: Scriboniam Rævardus: Rhodiam Balduinus, J. Gothofredus, & vir Amplissimus Cornelius Van-Bynkershoek: cui Sctum quoque Marcianum de Bacchanalibus tollendis, quod Jac. Gronovius, & Raphael Fabretus sine interpretatione ediderant, restitutum debemus. Voconiam porro Balduinus Perizonius, & Cl. Wielingius: Pulvæus Atiniam: Ateriam Tarpejam de multis Koolius: Cinciam Brummerus: Agrarias Goefius: Juliam de ambitu Ketwigius: Remmiam Amplissimus Brenemannus: Fusiam Caniniam Gerhardus: Petroniam doctissimus Noordkerkius, & Scatiniam Cl. Christius scriptis singularibus explicarunt. Quod si adversaria hic excutere luberet, forsitan non deessent, quibus Augustinus illustrari, vel emendari posset, ac vel sola significatio eorum, qui aliud agentes legibus, aut Senatusconsultis lucem attulerunt (vulgo autem in manibus juris studiosorum haud versantur) non jucunda, nec inutilis foret; quemadmodum v. gr. legem Hortensiam Contius: Cinciam Ranchinus; Æliam Sentiam Mercerus & Norisius; Aquiliam Menardus; Falcidiam Scaliger; Gliciam Bynkershoekius; Vellejam Schultingius; Nerius Hostilium, Juliam & Titiam Valesius; Briffonius Juliam iudiciorum; Petroniam Fornerius; Lætoriam Jac. Gothofredus, & Vicesimariam Fabretus illustrarunt.

Moneri etiam hic possent Justinianeus novi, ne sibi a viris magnis imponi patiantur, qui nomina propria legum fingunt, quæ talia non sunt. Sic Augustinus pag. 354. legem *Commissoriam* in album legum publicarum refert; sed in notis addit, privatam pactionis conditionem esse: nam *contractus* vocatur in *l. ult. C. de Pact. pign.* & qui in pactum contractui adjectum committit, in totam venditionem committit. Male *pactum legis commissoriae* vocatur in *c. 7. X. de Pign. & 4. Feud. 66.*, cujus tamen inscriptio Cujacio non displicet, quia & pactum conventionis, & legem pacti, & pactum pacis, & actionem

conditionis dicimus. Legem *Talariam*, qua cautum fuerit, ne quis in convivio talis luderet, ex Plauti Milite *Act. II. Sc. 2. vers. 9.* deprompsit Alciatus *lib. VI. Parerg. c. 16.*, nec repugnat Salmasius, allusum videri ad legem aliquam, circa illa tempora latam de lusu talorum, & tesserarum vitando, quæ non diu tenuerit, ut aliæ id genus. Pantoja de Ajala ad *l. 4. D. de Aleat. n. 2.* Plautum de Titia, Publicia & Cornelia, aleam vetantibus, accepit, quarum ætas incerta est. Alii vero *Talariam* ambigue poni ajunt, pro lege, quam dicit convivii magister talorum jactu creatus. Vide Taubmannum in not. & Scioppium *lib. II. Veris. c. 4.* Quod si prioribus ad stipulamur, a re nomen petiit Comicus, ut *viariam* Curius ad Ciceronem *lib. VIII. ep. 9.* alii legem *decimariam, caducariam, vicesimariam, judicariam, & theatralem* dixerunt, & ipse Plautus *Lætoriam quinam vicenariam appellavit.* Pseud. *Act. I. Sc. 3. vers. 69.* Alterius legis *Alienæ* lator est Cujacius *lib. XIX. Obs. c. 17.* qui ex verbis *l. 3. §. 7. D. de Lib. hom. exhib.* non oportet præjudicium fieri *alienæ cognitioni*, proprium nomen legis de cognitione liberalis causæ exculpit. Novi equidem, legem *Alienam* in libello de limitibus memorari: *Alienæ* gentis quoque mentionem fieri in lapidibus & nummis; plures item *Allienos*, ab *Alia* flumine dictos, ut Asconius ait, habere Ciceronem *XI. Philipp. 12. lib. X. Att. ep. 15.* alios Lipsium, & Ryckium collegisse ad Taciti *lib. I. Hist. c. 52.* Sed quid obstat, quominus *alienæ*, idest *alteri* interpretemur? nam per minorem causam majori cognitioni præjudicium fieri non oportet, *l. 54. D. de Judic.* Denique quis nescit, quam turpiter se dederit Joh. Robertus, quod *lib. I. Animadvers. cap. 2.* adseruit, legem Juliam Miscellam vocari a latore suo Julio Miscello: eum a varietate plurium rerum, ac personarum utriusque sexus dicatur, ut lex Saturæ ὁ νόμος πολλὰ περιέχων. Vide notata Mercatoris *lib. I. c. 2. & Schott. lib. I. Obs. 2.*

Non minus utilia de Sctorum interpretibus hic dicenda essent, quæ potissimam juris scripti partem a Tiberio ad Caracallam usque constituerunt. Atque utinam Pomponii quinque libri de senatusconsultis, vel Pauli singulares de Scto Liboniano, Orphytiano, Tertulliano, Turpilliano & Vellejano libri ad nos integri pervenissent? Nunc cari nobis esse debent recentiores, quos inter Senatusconsulta de aquæductibus Frontini interpretes; de ædificiis Cujacius & Reinesius; Apronianum Spanhemius; Claudiana Faber; Tertullianum Vertranus Maurus; Trebellianum Corsetus; Volusianum Pancirolus; Vellejanum Duarenus, Alteserra, & Leschafferius; Macedonianum de Jena, alia plura Celeberr. Schultingius illustrarunt. Hoc autem monere non prætermittam, Casaubonum ad *Spartiani Hadrianum cap. 3.* ex vetere Lapide (qui extat apud Gruterum *pag. 35. n. 2.*) firmasse Augustini con-

je-

jecturam, pag. 324. de auctore S<sup>C</sup>i Articulan-  
jani, in l. 51. §. 7. *D. de Fideic. lib.* quod  
in *Basil. tom. VI. pag. 387.* Articulanum  
dicitur: quædam etiam vestigia gentis obscuræ,  
a qua S<sup>C</sup>tum Dasumianum [non *Damasia-*  
*num*, nec *Dasumajanum*, ut aliis, *V. Basil.*  
*d. l.*] nomen accepit, attulisse ad *Capitolini*  
*Antoninum cap. 1.* Silanianum vero S<sup>C</sup>tum  
C. Junium Silanum auctorem habere, A. U. C.  
763. cum Dolabella consulem, curatius, quam  
noſter, pag. 365. ex ingenio P. Fabri, docuit  
Cujacius *lib. 1. Obs. cap. 18.*, quo cum stem-  
mata Silanorum contulisse, juvabit, a Reinesio  
*epist. 44.*, & 50. pag. 423. & 463. plenius,  
quam a Panciolo *lib. II. Var. lect. c. 63.* con-  
texta. Vitrasianum quoque S<sup>C</sup>tum (non Tra-  
sianum, ut Placentinus vocat) T. Vitrasio Pol-  
lioni, sub Antonino Philosopho A. U. C.  
918. cum Servilio Pudente Consuli, nomen  
debere, Petrus Faber *lib. III. Semestr. cap.*  
*12.* propterea animadvertendum esse duxit:  
*quod ab Antonio Augustino, elegantissimo in-*  
*ter Hispanos Jurisconsulto, ac religiosissimo*  
*Episcopo, in eo, quem de legibus, & S<sup>C</sup>tis,*  
*non ita pridem edi curavit Fulvius Ursinus,*  
*libro minime exprimitur quo tempore id fa-*  
*ctum Senatusconsultum fuerit: laudo mode-*  
*stum silentium hominis ingenui.* Dubito autem  
vehementer magis, ne modestia Augustini, an  
Fabri conjectura laudanda sit, qui aperto er-  
rore annum U. C. 918. ad Antonini Philoso-  
phi imperium refert, cum in Marci Aurelii &  
Lucii Veri tempora incidat. Male etiam re-  
scriptum D. Pii, quod Vitrasiano S<sup>C</sup>to ad-  
jungitur, in l. 30. §. 6. *D. de Fideicom. lib.*  
Antonino Philosopho tribuit; cum alibi Pium  
eidem Dextro rescriptisse sciamus, ex l. 16. §.  
17. *D. ad S<sup>C</sup>tum Trebell.* Præterea Norisius, in  
*Epist. Consulari pag. 457. tom. XI. Thes. Græ-*  
*vii.* Vitrasium cum Pudente iterum consulem fuisse,  
falso credi, atque ex indice erratorum ad  
corpus Gruteri pag. 1009. n. 12. L. Fufidium  
Pollionem, in Fastis reponendum esse monet,  
pro Vitrasio, quem perperam Panvinius ad  
hunc annum confinxit. Firmant ejus senten-  
tiam binæ inscriptiones apud Sponium *Mis-*  
*cell. erudit. antiq. pag. 33. 34.* in quibus est:  
Q. SERVILIO. PVDENTE, L. FVFIDIO. POLLIONE.  
Vitrasius autem Pollio sub Hadriano legatus  
Lugdunensis fuit, auctore Modestino in l. 15.  
§. fin. *D. de excusat.*, eoque elegans pertinet  
inscriptio Nemausi reperta, apud Reines.  
*cl. VIII. 52.* VITRASI. POLLION. LEGATI. AVG.  
Multo autem post tempore elapso, idem cum  
Flavio Apro A. U. C. 928. secundum con-  
sulatum gessit, a Lampridio, in *vita Commodi*  
*cap. 12.* Grutero pag. 30. n. 4. aliisque cele-  
bratum; quando primum gesserit, mihi non  
liquet. Alius est C. IVLIVS. VITRASIVS. V. C.  
quamvis ejusdem ævi, in marmore apud Fa-  
brettum pag. 58. n. 339.

Capite quinto & seqq. maximus nomi-  
num catalogus sequitur, tam mulierum, quam  
virorum; servorum, quam liberorum hominum;

præcipue vero civium Romanorum, sive illi  
privati fuerint, sive magistratu functi. Quibus-  
dam horum illustrandis, & emendandis infi-  
gnem operam impendit Ægidius Menagius  
*cap. 31. Amœnitatum*, quod Augustino addi  
merebatur, nisi in omnium manibus esset:  
*Missenium enim Frontonem, Scapulam Ter-*  
*tullum, Quintum Mucium, Largium Eur-*  
*pianum, Epitynchanum, Primitivum, Sac-*  
*cum, Eroten, Onesiphorum, Fabium Cilo-*  
*nem, Erycium Clarum, Cinctos Horatios, Cæ-*  
*cidianum, Regionem Niphanam, Phylargy-*  
*rum, & Quintilios*, ut propius nosceremus,  
effecit. Nec minus erudite vir illustris Corne-  
lius Van-Bynkershoek *lib. III. Observationum*  
*cap. 7. Pactumeii, Sancti Cassii, Cecillii Juven-*  
*tiani, Publicii, Ostorii Scapulæ, Soteri, Pa-*  
*conii, Trophimi, Æthalis, Pantonii Aviti,*  
*& Claudii Hieroniani nomina*, a mala cor-  
rumpentium manu vindicavit; unius etiam lit-  
teræ mutatione succurrit Alfeno, male affecto  
in l. 26. *D. de Oper. libert. pro libertus*, Li-  
berius legendo, ingeniosissime! nisi forte ali-  
cui scrupulum iniiciat Reinesius ad *cl. VII.*  
*Inscr. 85.* nullos testatus, sub libera republi-  
ca, immo vix ante extrema Imperii Occiden-  
talis tempora, Liberios reperiri in Historico-  
rum monumentis: quodque medicorum plu-  
rimi illa tempestate fuerint aut servi, aut li-  
bertini; nec absurdum videatur, medicum li-  
bertinum, medicos libertos habere: id enim  
quæ fieri potuerit, Fabrettus *cap. 1. Inscr.*  
*pag. 7.* ostendit, & Martialis illustrat *lib. II.*  
*Epig. 18.* Cæterum præter Duumviros illos,  
laude sua hic defraudandus non est Petrus Fa-  
ber, qui nomina propria virorum depravata  
tribus Pandectarum locis castigavit dicto *lib.*  
*III. semestr. cap. 12.* tum Guido Pancirolus  
in *Thesauro Var. lect.* non modo *lib. I. c. 79.*  
Jurisconsultos, aliosque in Pandectis nomina-  
tos, ad quos Principes in Codice rescripse-  
runt, sed & plura longe nomina propria Pan-  
dectarum libro II. vel quadraginta capitibus  
explicavit; verum *Επιχάρμειον* illud tenendum  
est, nervos, atque artus sapientiæ esse non  
temere credere, & gravissimos ejus errores,  
alium Reinesius *lib. II. Var. lect. c. 12.* alios  
Ampl. Bynkershoek *lib. III. Obs. c. 8.*, & in  
*Prætermiff. ad Pompon. pag. 97.* alios Me-  
nagius *Amœnit. c. 23. & 43.* castigarunt; quos-  
dam etiam ipse ad §. 2. *Inst. de Usucap.* &  
infra indicavi. Thomas denique Reinesius, in  
*Epistolis ad Rupertum*, & in *commentariis*  
*ad Syntagma Inscriptionum*, multis nomini-  
bus propriis Pandectarum lucem attulit v. gr.  
*Ep. 23.* Virium Lupum, Britannia Præsidem,  
cujus meminit Ulpianus in l. 2. *D. de Vulg.*  
*& pup. substit.*; ex duabus inscriptionibus, in  
Britannia repertis, apud Gruterum, pag. 73.  
n. 5. & 191. n. 3. eleganter illustrat; tempo-  
ra autem confundit, & gradus honorum, &  
*Imperatorem Caracallam*, in d. l. 2. male Se-  
verum interpretatur; sicuti librarius Floren-  
tinus, more suo, jam supra indicato, P. in  
Lu-

*Lupus mendose geminavit. Idem epist. 35.* Cornelium Priscianum, de quo Marcellus in *l. 3. D. de his, quæ in test. del.* diversum esse ostendit a Prisciano, cujus meminit Capitolinus in *vita Pii c. 7.* secus quam Casaubonus ibi suspicatur. Rursus *pag. 288.* Munatium Plancum, Pannoniæ Præsidem, cujus in Collatione LL. Mosaic., & in Codice mentio fit; item *pag. 458.* Claudium Quartinum, cui Hadrianus rescripsit, in *l. 1. §. 2. D. de Quæst.* Iterum *pag. 571. 572.* Terentium Gentianum & Ædicianum Adventum, ex marmoribus & ex Joh. Antiocheno, quem Cujacius *lib. XV. Obs. c. 3.* dissimulare non debuerat; & denique *pag. 652.* Antoniam Maximillam in *l. 24. D. ad L. Corn. de sic.* ex Plinio egregie illustravit. Alia id genus dedit in commentario ad Inscriptiones eruditissimo; nec minora Eponymologicum ejus, diu ab eruditis efflagitatum, harum amcenitatum cultoribus promittit.

Ad Magistratus quod attinet; maximopere optandum esset, ut accuratam, si non omnium, qui Romæ, & in Provinciis honores gesserunt, saltem Præfectorum prætorio, & Præfectorum urbi (a) seriem haberemus. Illos Petrus Faber *lib. I. Semestr. cap. 1. & 2.* post Onuphrii & Baronii diligentiam, undique conquirit, eorumque potestatem, dignitatem, & officia explicavit. Hos vero Felix Contelorius, Protonotarius Apostolicus, libello suo, *de Præfecto Urbi,* & Almeloventus Fastis Consularibus adjecerunt. Anonymum item de *Præfectis Urbi,* ex temporibus Gallieni, Norisianæ dissertationi ad fastos consulares, *tom. XI. Thes. Grævii pag. 383.* additum, Joannes Cuspinianus, & Ægidius Bucherius primum vulgarunt. Utrorumque Præfectorum catalogum insigniter auxit Clar. Wesselingius, *lib. I. Observ. c. 5. & lib. II. c. 11.* Olim quoque Scipio Gentilis ad Apuleii apologiam *n. 289. Q. Lollium Urbicum* recte distinxit, a *Lolliano Avito,* quarum Apulejus meminit. Prior enim Præfectus Urbi fuit, secundum Inscriptionem Gruteri *pag. 38. n. 13. APOLLINI. Q. LOLLIVS. VRBICVS. PRÆF. VRB. & legatus Antonini in Britannia, Capitolin. in Pio cap. 5.* Posterior vero Consul fuit, imperante Pio, & *vir consularis,* apud Capitolinum in *Pertinace cap. 1.* dicitur. Idem, de quo Ulpianus in *l. 3. §. 1. D. de Decurion.* Scribit: *Divi fratres Lolliano Avito Bithyniæ Præsidi rescripserunt.* Victor per errorem *Lollium Gentianum* vocat, & cum alio confundit, de quo Gruter. *pag. 404. n. 7. & Casaub. ad Capitol. Pertinac. cap. 7.* Alius est Mavortius Lollianus, Præfectus Urbi sub Constante, & Consul A. MCVII. *l. 21. C. Mand. l. 25. C. Th. de appellat.* cujus Ammianus quoque Marcellinus, & tituli apud Sponium *pag. 129.* ac Fabretum *pag. 689.* meminere; idemque forte est, cui Julius Firmicus sub Constantino libros suos Astronomicorum inscripsit. Verum liceat & mihi Præfectis Urbi adicere *Fuscianum A. C. CXCII.* sub Commodus, ex Fragmento Dionis *lib. 79.* Tertul-

liano *ad nation. lib. 1. cap. 16.* & Capitolino in *Pertinace c. 4.* ubi: *Pertinax Præfectus Urbi factus: in qua præfectura post Fuscianum, hominem Severum, Pertinax mitissimus, & humanissimus fuit.* Idem forte est Sejus Fuscianus, vir Senatorii ordinis, Marci condiscipulus, apud Capitolinum *ejus vit. c. 3.* qui & iterum consul fuit, auctore Lampridio in *Commod. c. 12.* Gruter. *pag. 1006. n. 9.* ac cui Severus & Antoninus rescripserunt, in *l. 1. C. de Heredit. tut.* Alius videtur esse Tuscus Fuscianus, tempore Pii, Numidiæ legatus, in *l. 7. D. de legat. præst. contr. tab.* certe diversus est Fuscianus Jctus, cujus Pomponius meminit, in *l. 2. §. fin. de O. J.* ibique Ill. Bynkershoek in *Prætermisiss.* Nos ad Augustinum revertamur.

*Pag. 295.* satis probabiliter *Rutilium Prætozem in l. 1. §. 1. D. de bon. libert.* laudatum, P. Rutilium Rufum interpretatur: nam ut ibi inter primos Prætores, ita inter Veteres Jctos refertur, in *l. 10. §. 3. D. de usu & hab.*, idemque Ulpianus alibi eum simpliciter Rutilium vocat, *l. 1. §. 2. D. de Arb. cæd.* Hic P. Mucii Jcti, & Panætii Stoici discipulus, Romæ consul fuit cum Cn. Mallio Maximo A. U. 648. non cum M. Manilio, uti Cujacius scribit, *lib. II. Obs. c. 27.* qui ex uno lapide Gruteri *pag. 207.* satis refellitur. Idem Asiæ Proconsul dicitur in *l. 2. §. 40. de O. J.* vel, si Asconium sequimur, in *Divin.* Asiæ Proconsulis Quæstor, aut legatus, ut Livius *epit. lib. 70.* Hic fuit eruditissimus; *multa præclare de jure: doctus vir, & Græcis litteris eruditus, Panætii auditor, prope perfectus in Stoicis,* ut Cicero ait in *Bruto c. 30.* De vita sua libros aliquot scripsit (ut post eum Scarus, Varro, & Augustus) quorum auctoritate Carisus sæpe utitur. Scripsit etiam de bello Annibalico, auctore Appiano *pag. 522.*, & libros Historiarum, a Plinio, Athenæo, Plutarcho, Gellio & Macrobio laudatos. Orationes ejus Suetonius, & Diomedes celebrarunt. Summæ fuit innocentia vir, nec sæculi modo sui, sed omnium avi optimus: malitiosis tamen accusatorum calumniis in judicium repetundarum vocatus, damnatusque Equitum sententiis, qui tum Gracchanis legibus judicia obtinebant, in exilium Smyrnam abiit, ut multi memoriæ prodiderunt. Junior est Publius Rutilius Lupus Consul A. 664. de quo Vellejus Patere. *lib. II. c. 15.* & Jul. Obseq. *de prodig. c. 115.* Alius est Rutilius Lupus, cujus extant fragmenta inter Rhetores antiquos, ex bibliotheca Franc. Pithoei, & meminit Quintilian. *lib. III. Inst. c. 1. lib. IX. c. 2. & Proæm. lib. VI.* ubi merito Cl. Burmannus in *not.* ambigit, an hic sit Prætor ille Rutilius, de quo quærimus. Recentiores sub Divis fratribus sunt Rutilius Lupus in *l. 6. D. de Mun.*, & Rutilius Severus in *l. 1. D. de Ventr. inspic.* Postremum denique locum tenet Rutilius Maximus, posteriorum temporum Jctus, ut ex indice Pandectis præfixo constat; is scripsit *μανόβιβλον* ad legem Falcidiam, ex quo una superest *l. 125. de leg. I.*

Pag.

(a) Id postremum præstitit Vir Clarus Eduardus Corfinius, libello nuper edito, cui Titulus: *Series Præfectorum Urbi*

Pag. 377. *Lentulum*, de quo Venulejus in *l. 12. D. de Accusat.* suspicatur sub Augusto vixisse, & consules Sullam, & Trionem suspectos: at Cujacius *lib. VI. Obs. c. 30.* & Pancirolus *lib. II. Var. lect. c. 124.* Collum Cornelium Lentulum, Cossi Lentuli Gætulici A. 752. Consul filium, & sub Tiberio senatorem intelligunt, hominem suavi ingenio & modesto, natura bonum, de quo Dio Cass. *lib. 57.* nam consules quoque L. Fulcinius Trio, & Faustus Cornelius Sulla, in *d. l. 12.* memorati, ex Idibus Maii suscepti, imperante eodem, A. 784. vid. Tacit. *lib. V. Annal. c. II.* Grut. pag. 1087. n. 1. & Noris. *Epist. Consul. p. 404. Tom. XI. Thes. Grævii.* Idem vero Lentulus A. 778. jam Consul fuerat cum C. Calvisio Sabino, Tacit. *lib. IV. Ann. c. 46.* & in præfectura urbi successor Pisonis, qui obiit A. 785. Seneca *ep. 83. virum gravem, & moderatum, sed mersum vino, & madentem* appellat. Vide stemma apud Reines. *epist. ad Rup. pag. 463.* Antiquior est L. Cornelius Lentulus, qui, cum in Africa decederet, scripsit codicillos testamento confirmatos, unde origo fideicommissorum, & codicillorum fluxit, *pr. Inst. de Codicill.* Hic cum M. Valerio Messalino A. U. 750. non vero eodem, quo Servator noster natus, ut Cassiodorus in Chronico scribit, fasces tenuit; id quod Reinesius *Inscr. cl. X. n. 3.* ex marmore confirmat. Meminere ejusdem Cicero, Dio, & nummus L. LENTVLVS. FLAM. MART. Recentior est Lentulus Verus, cui Titus Antoninus rescripsit apud Papin. in *l. 11. D. de Jure fisci.* Unum addo, frustra dubitasse Panciroolum *d. l.* an non Fulcinius ille Consul sit Jurisconsultus, in Pandectis sæpe laudatus: is enim non Trio, sed Priscus dicitur, in *l. 49. §. 2. D. de leg. 2.* circa eadem vero tempora vixisse videtur, post Trebatium, & La-beonem, ante Trajanum, *l. 43. D. de Mort. caus. donat.*

Pag. 377. *Nonius Asprenas*, Publilii Cæci filius fuit, quem postulatorem tanquam mali ominis Brutus aversa sella destituisse dicitur in *l. 1. §. 5. D. de Postul.* Brutus autem cum Ciceronis fuerit familiaris, & præturam gesserit sub Cæsaris Dictatoris exitum, cujus percussor fuit, consequitur, C. Nonium Asprenatem intelligi posse illum, qui ab Augusto aureo torque donatus est, & deinde causam beneficii coram eo dixit, quum unius patinæ veneno necasset centum triginta convivas accusaretur, apud Sueton. *lib. II. c. 43. & 56.* Forte etiam non errabimus, si, cum Schotto, Senecam majorem hujus patris, & filii, P. & L. Nonii Asprenatis, inter claros rhetores mentionem fecisse credamus, *præf. lib. V. Controv. & contr. 33.* Fuere & alii, Juliis temporibus, Asprenates, ut Nonius Asprenas, Proconsul sub Cæsare, de quo Hirtius *de bello Afric.* alius L. Nonius Asprenas, Tacito memoratus *lib. I. Annal. c. 53. & lib. III. c. 18.* alius, ex hac *Consulari Asprenatum domo*, ut Plinius vocat, *lib. XXX. Hist. nat. c. 7.* est P. Nonius Asprenas.

Tom. I.

nas, qui sub Caligula A. U. 791. alius, qui sub Domitiano Consul A. 846. occurrit; quem vero Cujacius in *Parat. C. lib. VII. tit. 20.* non Nonium, sed Ninnium dictum fuisse, eo-que Consule, factum opinatur, Sctum de collusione detegenda, quod Basilica *Ninnianum* vocant, in *l. 2. C. de Collus. τὰ τῶν Νιννίων δογματι, lib. 48. tit. 23.*, & Michael Pifellus in *Synopsi legum*, quibus vetus Menagii Codex, & Gallicus Codicis interpres adstipulantur, notante Fabretto. Ego quidem scio, Ninniam gentem celebrem fuisse Romæ: Cicero enim L. Ninnii Tribuni plebis *lib. III. Att. ep. 23.* Titulus Gruteri pag. 1702. n. 1. & Gudii pag. 42. n. 1. Q. Ninnii Hastæ, Consul sub Trajano, & ejusdem forte sub Hadriano Paulus meminere, in *l. 5. D. ad L. Corn. de Sic.* Probabilius etiam Sctum illud Ninnianum, quam Junianum cum Rosredo, aut Vivianum cum Placentino, aut cum aliis Numianum vocatur; Augustinus autem, *de Sctis, Nonianum*, a Nonio, & Sextilio Laterano Cofs. appellavit, quorum Prior L. Nonius Asprenas in Fastis dicitur. Asprenates certe Noniæ familiæ esse, patet ex inscriptionibus Gruteri pag. 205. n. 5. & 307. n. 4. ubi L. Nonius Asprenas septemvir Epulonum habetur.

Pag. 380. *Atilicinius ait, Cæsarem Statilio Tauro rescripsisse*, in *l. 35. D. de servit. præd. rust.* Si Jurisconsultum illum, cum Cujacio *lib. I. Obs. cap. 9.* sub Cicerone vixisse credamus, Julius Cæsar intelligendus erit, sub quo jam vixit T. Statilius Taurus, bis deinde Consul & triumphalis, Horat. *lib. I. epist. 5. vers. 4.* Dio *lib. 54.* Grut. p. 234. n. 1. & pag. 295. T. STATILIVS. T. F. TAURVS. PRO. COS. ANN. DCCXIX. EX. AFRICA. Rectius vero alii Atilicinium ad Tiberii tempora retulerunt, quia cum Sabino, Nerva & Cælio de jure respondit, *l. 6. §. 4. D. Comm. div. l. 7. D. de Condict. caus. dat. l. 52. §. ult. D. pro soc.* ipseque Cujacius ad *lib. VII. Quest.* Papin. in *l. 34. §. ult. D. de S. P. R. Cæsarem Augustum* in *d. l. 35.* interpretatus est, sub quo T. Statilius Taurus, cum M. Æmilio Lepido, consulatum gessit A. U. 763. Gruter. *Inscr. pag. 334. n. 9.* OLYMPVS. PETILLI. SP. N. FEBRE. MV. LEP. T. STAT. COS. Meminit eorum Consul quoque Venulejus Saturninus, in *l. 13. D. de Scto Silan. Constitutum est Scto, Tauro, & Lepido Consulibus:* ex quo loco recreari potest Ulpianus in *Collat. II. Mosaic. tit. 8. §. 7.* mendo inquinatus, ubi Sctum adversus falsarios factum esse dicit: *Statilio, & Tauro Consulibus:* nisi cum Pithoeo, Cujacio, & Salmatio malis, *Statilio Tauro, & Scribonio Libone Conss.* A. U. 769., quia iisdem Consulibus Senatusconsultum Libonianum circa legem Corneliam factum est. Hic vero Taurus, a priore diversus, *Sisenna Statilius Taurus* apud Tacit. *lib. II. Ann. c. 1. & T. Στατίλιος Σισέννης* in indice Dionis vocatur. Alius M. Statilius Taurus, sub Tiberio Claudio Nerone, cum L. Quintio Cri-

T t t

spi-



spino A. 796. Consul fuit, quorum nomina Cel. Petrus Faber *lib. III. Semestr. cap. 12.* in præfatione legum navalium Rhodiis ascriptarum, docte restituit, eosdemque conjungit marmor Cuperi 15. L. QVINCIO. CRISPINO. II. ET. M. STATILIO. TAVRO. & duo lapides Gudii *pag. 19. n. 9. & 43. n. 10.* Glandorpii, & Feinsheimii errores circa Statilios Tauros Ryckius correxit, ad dictum Taciti *cap. 1.*

*Pag. 381.* improbissimam feminam, a qua originem Edicti, quo Prætor mulieres arcet a postulando pro aliis, repetit Ulpianus, in *l. 1. §. 7. D. de Postulando*, neque Calpurniam neque Cafraniam, neque Cajam Afraniam, sed *Carfaniam* dictam tradit, duplici, & Pandectarum Florentinarum, & Leonis auctoritate, *lib. VIII. tit. 1. c. 3. Κερφάνια τῆς ἐχορήγιασιν ἀντιδιστατά γυνή.* Idem nomen Cujacius non modo probavit, *lib. XXVI. Obs. c. 38.*, sed & apud Valerium Maximum *lib. VIII. c. 3. n. 2.* pro *Afrania* Carfaniam, & apud Juvenalem *Sat. II. vers. 69.* pro *Carfinia* *Carfaniam* legendum esse censuit, E. contrario Alciatus *lib. II. Parerg. c. 37.* damnato Calphurniæ nomine, in quo Vulgatæ, & Haloandri lectio vacillat, C. *Afraniam* intelligendam, & scribendam arbitratur; cujus sententiæ Petrus Faber ad *l. 2. de R. J. Vossius lib. IV. Inst. orat. c. 10. Sect. 4.* ac Ill. Bynkershoek *lib. IV. Obs. c. 12.* accesserunt. Et vel invito cuivis hæc emandatio probari debet, si Ulpiani locus cum verbis Valerii Maximi sequentibus conferatur: *G. vero Afrania, Licinii Buccionis Senatoris uxor, promptas ad lites contrahendas, pro se semper apud prætorem verba fecit, non quod advocatis deficiebatur, sed quod impudentia abundabat. Itaque inusitatis foro latratibus assidue tribunalia exercendo mulieris calumniæ notissimum evasit exemplum: adeo ut pro crimine improbis seminarum moribus G. Afraniæ nomen obiiciatur. Prorogavit autem spiritum suum ad C. Cæsarem iterum, & P. Servilium, Coss. Tale enim monstrum magis, quo tempore extinctum, quam quo sit ortum, memoriæ tradendum est. Ecce! quam Ulpianus improbissimam feminam appellat, ea huic improbis femina moribus dicitur: quam, ille scribit, inverecunde postulasse, id est, contra verecundiam, & pudicitiam sexui congruentem; hic dicit, impudentia abundasse: quam ille ait, magistratum inquietasse, hic scribit, inusitatis foro latratibus assidue tribunalia exercuisse, usque adeo, ut proprium hoc mulieris nomen, per antonomasiam, commune evaserit, & improbis seminarum moribus pro crimine obiiceretur. Tantum igitur abest, ut Valerius Maximus ex Ulpiano corrigendus sit, id quod vel sola particula *vero* inter prænomen posita, vetat, ut verisimilius sit, librariorum Florentinos, vel ipsos etiam Pandectarum architectos, prænomen femine C. quod separari, & interpungi debebat, conjunxisse, inversis etiam aliis litteris duabus, quod & alibi fit in iis Pandectis. Sic præ-*

ter alia, semel, & iterum supra indicata, P. Antonius Avitus, in *l. 86. D. de Adq. vel omitt. hered.* Scribarum errore, *Pannonius* vocatur, uti Alciatus *lib. VII. Parerg. c. 16.* & Muretus *lib. II. epist. 6.* dudum monuerunt. Cel. etiam Perizonius ad Valer. Maximum notavit, apud Plinium *lib. VII. Hist. nat. c. 44.* *Catinium* vocari, qui Ciceroni *pro domo c. 47.* C. Atinius appellatur: nec convenit inter viros doctos, *Agellius*, an *A. Gellius* scribendum sit. His addamus quod *Carfaniam* gentile Romanorum nomen non sit; *Afraniæ* gentis autem frequens est mentio apud Scriptores; cujus variæ quoque mulieres in marmoribus antiquis celebrantur; *AFRANIA. C. F. PRISCA.* apud Fabretum *Insc. pag. 335.* & *AFRANIA. CORNELIA.* apud Gudium *pag. 39. n. 3.* Nolim etiam apud Juvenalem *dicta Sat. II. vers. 69.* *Carfiniam* mutari in *Carfaniam*:

*Damnetur, si vis, etiam Carfinia: tale  
Non sumet damnata togam....*

quia *CARFINIVS. HESYCHVS.* est in basi Gruter. *pag. 241.* & *CARFINIA. VETULENA.* apud Gudium *pag. 158. n. 8.* Unum superest, erroris notam ut abstergamus Ulpiano, quam viri præclari, Augustinus, Leyserus *meditat. ad Pand. Spec. 51. n. 7.*, & Heineccius ad *tit. D. de postul. §. 391.* ei inusserunt. Negant enim, C. Afraniæ impudentiam occasionem dedisse huic edicto, quia illa non pro aliis, *sed pro se semper* postulavit, auctore Valerio. Feminas præterea ab initio reipublicæ, & usque a Numæ temporibus ab omnibus conventibus publicis exclusas, & sub perpetua tutela constitutas, sine tutore, auctore, lege, aut legitimo judicio agere non potuisse: in summa, moribus receptum, ne civilibus officiis fungerentur, *l. 12. §. 2. D. de Judic. l. 2. de R. J. Ulpian. tit. XI. §. 27. Liv. lib. XXXIV. c. 2.* & Plutarch. in *Numa cap. 47.* Verum hæc tanti non sunt, ut Ulpiani fidem suspectam reddant, qui ex vetere quodam illius avi Jcto, Sulpicio puta, vel Ofilio, causam edicti historicam nobis dedisse videtur. Quamvis etiam Afrania quoties pro se ageret, semper ipsa verba fecerit apud Prætorem, quid vetat eo impudentiæ ipsam processisse credamus, ut pro aliis postulare ausa, & repulsa Prætori sequenti occasionem dederit edicendi, ne quæ femine pro aliis postularent? Ut lege, vel legitimo judicio pro aliis agerent, verecundia sexus, & conditio fragilitatis nunquam permisit, *l. 21. C. de Proc. l. ult. C. de Recept. arb.* Ut vero liberis suis postularent tutorem, vel tutorem suspectum accusarent, aut mortem suorum exequerentur, non video, quid obstet, quum id legibus, & principum rescriptis ipsis concedatur. *§. 3. Inst. l. 1. §. 7. D. de susp. tut. l. 2. l. 11. pr. D. de Accusat.* Juvenalis *Sat. 6. vers. 241.* quasdam earum, in libellis & litium cautionibus componendis, Celso oratore promptiores fuisse, testatur:

*Nul-*

*Nulla fere causa est, in qua non femina litem*

*Moverit: accusat Manilia, si rea non est. Componunt ipsæ per se, formantque libellos, Principium, atque locos Celso dictare parata.*

Pag. 391. Junius Rusticus, Præfectus urbi, & Divorum Fatrum amicus, apud Ulpianum in *lib. 1. §. 3. D. de Appellat.*, idem videtur esse Casaubono, de quo Capitolinus in *Marco c. 3. Audivit præcipue Junium Rusticum, quem & reveritus est, & sectatus, qui domi, militiæque pollebat, Stoicæ disciplinæ peritissimum, cum quo omnia communicavit publica, privataque consilia: cui etiam ante Præfectos prætorio semper osculum dedit: quem & Consulem iterum designavit.* Dubitat autem Rupertus ad *Reines. Epist. 34. pag. 216.*, quia Præfecturam non præteriturus fuerit Capitolinus, si eam Philosophus gesserit; sed *Reinesius Epist. seq. pag. 247.* omnes talebras, in quas inciderunt viri docti, devitari posse ostendit, si misso incurioso illo, ut vocat, scriptore, Q. Junium Rusticum eundem dicamus Philosophum, Stoicum, Rustici Aruleni, a Domitiano interfecti, filium, qui duos consulatus, primum suffectum cum Tertullo A. U. 910., & alterum ordinarium cum Aquilino gessit A. 914. *l. 3. C. de Alend. lib. & anno sequente Præfectura Urbi functus est, Æliano & Pastore Coss. Sub his enim martyrium Justinii referunt Annales, quod ille, nostro urbis Præfecto, damnante subiit. Vid. Grut. pag. 126. & 131. n. 3. Posterioris ævi est Rusticus, Præfectus urbi, sub Constantio, A. Chr. 345., ad quem data *l. 23. C. Th. de appellat. & cujus Anonymus de Præf. Urbi sine prænomine meminit. Quod si autem illis fidem habemus, qui eum Quintum Junium vocant, valde incertum evadit, ab utro horum exacta sint pondera, in quibus EX AVCT. Q. JUNII RVSTICI legitur, apud Gruterum pag. 221. 222., & Fabretum *Inscript. c. VII. pag. 525.* Sponius sibi non constat *pag. 303.* Rupertus ea ad Rusticum priorem, *Reinesius ad posteriorem refert, cui Gudius ad stipulatur. Illud certum est, pondera per regiones universas instruere, Præfecti Urbis partes fuisse, auctore Ammiano Marcellino lib. XXVII. c. 9. Rursus ab utroque diversus est Julianus Rusticus, Præfectus Urbi, post obitum Valentis, de quo Ammianus, & Symmachus. Alius iterum P. Lucilius Rusticus Præf. Urbi, in lapide apud Holstenium. Quid a nostro Præfecto, præceptore suo, Marcus Philosophus didicerit, ipse commemorat *lib. I. de reb. suis §. 7. Dio Cassius lib. 71. Junium Rusticum, hominem in præceptis Zenonis exercitatum, vocat. Ad patrem ejus referenda videtur inscriptio Gruter. pag. 426. n. 10. L. IVNII RVSTICI PHILOSOPHI STOICI L. IVNIVS L. Vid.****

*Plutarch. de curios. Sueton. lib. XII. c. 10. & Plin. l. 1. ep. 5. Num vero idem ille Rusticus fuerit, de cujus bonis caducis agitur, in l. 20. §. 6. D. de Perit. her., non temere dixerim. Pancirolo lib. II. var. lect. c. 25. videtur, Q. Junius Rusticus esse, qui cum Hadriano iterum Consul fuerat, Junii filius, aut nepos, quem componendis actis Senatus a Tiberio præfectum fuisse, Tacitus scribit *lib. V. Ann. c. 4. Adde quæ viri docti ad Sueton. d. l. & Jonstii hist. Phil. pag. 231.**

Pag. 394. Juliam Augustam Severi Imperatoris uxorem, *Juliam Domnam* in nummis appellari ait, idque confirmari Oppiani Poetæ carmine; non autem definit, an eadem sit Julia Domna, quæ habuit patruum majorem Julium Agrippam primipilarem, cujusque Scævola meminit *lib. XIX. Digest. in l. 38. §. 4. D. de leg. 3. & lib. III. Respons. in l. 93. pr. D. eod. tit. Minime id visum est Cujacio *lib. III. Obf. c. 18. qui nomen dominae vel appellativum esse, vel tanquam glossema abundare putat, arg. d. l. 93. Contra fenserunt Pancirolo *lib. II. Var. lect. c. 73. Wissenbach. ad Pand. p. 11. disp. 11. §. 6. Reines. epist. ad Rupert. p. 611. Schottus *lib. II. Obf. c. 19., & Spanhem. diff. XI. de Præf. & usu num. pag. 294. sed ignoscent virorum eruditissimorum manes, si addubitem. Et primum quidem pars eorum fatetur, quod Domna non sit δέσποινα, ut apud Catullum in Attine, & Virgil. *lib. XI. Æneid. vers. 805. sed nomen proprium, vel potius cognomen, quod præter Augustam aliæ quoque matronæ usurparunt, ut Tristanus *tom. 2. pag. 120. Menagius *cap. 25. Amænit., & Philipp. a Turre *pag. 313. contra Scipionem Gentilem, Brodæum, Rittershusium, aliosque recte observarunt. Quemadmodum enim Dominus, per Syncopen Dominus ut proprium usurpatur, in inscriptione Gruteri *pag. 941. n. 2. l. 13. C. de Furt. l. 19. C. Th. de Palatin. l. 29. C. Th. de Curs. publ. & Libanius ad Domnum quendam Jctum scribit, *lib. III. epist. 276. ita Domina, contracte Domna; ut lamna pro lamina, in *l. 27. fin. D. de Auro & arg. & calda pro calida, in *l. 19. §. 2. D. Locati. sic Isidori, philosophi illius celeberrimi, cujus vitam descripsit Damascius uxor Δόμνην vocatur, in Excerptis vitæ illius apud Photium. Diocletianus, & Maximianus Domnæ rescribunt, in *l. 3. C. de Primpilo, & in *l. 13. C. de Pign. nomen proprium feminae esse oportere, quæ aut Domnina, vel etiam Domna, aut Domnia vocata sit, pronuntiat Salmaf. de modo usur. c. 13. pag. 567. DOMNINAM habes apud Gruter. *pag. 1050. n. 9. Quinimo Domnæ nomen, cum apud Græcos & Latinos, tum apud Syros, & Ægyptios hoc tempore vulgatum fuisse, idem Salmasius docuit, ad Spartiani Sever. c. 20. Præterea Dominae appellationem adulatio non dedit feminis ex Imperatoria domo ante Gallieni tem-***************

pora, & vix est, ut Scævola de lite Augustæ Domnæ respondere potuerit, qui ad Septimii Severi imperium non pervenit, cujus præceptor erat. Docet autem nos Spartianus, c. 3. Severum, quum, amissa Martia, audisset esse in Syria quandam, quæ id genituræ haberet, ut Regi jungeretur, Juliam hanc Phœnissiam mulierem, ex civitate Emisena Roma abduxisse uxorem, quæ nec patrum Julium Agrippam, mere Romanum, habuisse videtur. Cæterum Julæ Augustæ adnomen Domnæ fuisse testantur nummi IVLIA DOMNA AVG. & ΙΟΥΛΙΑ ΔΟΜΝΑ ΣΕΒ. & ΙΟΥΛΙΑ ΔΟΜΝΑ ΣΕΒΗΡΟΥ. Eadem corrupte in lapide Gruteri pag. 267. n. 7. DONINA vocatur. Fuit illa celebris Augusta, quæ Philosophæ cognomen meruit, apud Philostratum *de vitis Sophist.* c. 30. Mater naturalis Caracallæ, non autem noverca, uti Spartianus, Victor, Eutropius, Eusebius, & Orosius multis imposuerunt: contrarium vero partim ex marmoribus apud Gruterum pag. 6. n. 6. p. 12. n. 1. p. 32. n. 10. Fabrettum pag. 6. 79. 680. & Sponium pag. 270. partim ex cœvis, Dione, Xiphilino, Herodiano, & ex Oppiano in primis constat, qui Venationum libros Antonino offerens, sic eum initio affatur:

Αυτονίς Ζηνός γλυχερόν θαλάσσιον, Αντωνίνη  
Τὸν μεγάλην μεγάλην φυτεύσατο Δόμνα Σεβήρω.

*Ausonii Jovis dulce germen, Antonine,  
Quem magnam magno peperit Domna  
Severo.*

Stemma ejus, simul ad illustrandam *l. ult. D. de senat.* dedit Strauchius *diff. exot.* pag. 87. aliud Reinesius *ad Rupert.* pag. 611.

Pag. 398. Aquilius Regulus, juvenis ad *Nicostratum Rhetorem* magistrum, & præceptorem suum in arte dicendi brevem epistolam scripsisse refertur ex Papiniani *l. 27. D. de Donat.* Hic rhetor Macedo, sub Marco Antonino fuit clarus, æqualis Papiniani, quo cum ea de re contulit, Aristidis item, & Dionis Chrysostomi: idem in numerum decem illorum Oratorum, qui secundum a primis locum tenere judicabantur, est relatus, auctore Suida in Νικόστρατος. Alius est Nicostratus Comicus, histrio, qui optime fabulas agere credebatur; cujus Athenæus *lib. XIII. Dipnos.* c. 6. pag. 587. & Clemens *l. Strom.* pag. 209. meminerunt. Alius fuit Nicostratus Xenophontis frater, de quo Menag. *ad Laert.* *lib. II.* 59. alius Ephesius apud Artemidorum *lib. I. c. 2.* alius auctor libri, de senatu habendo, apud Festum in voce *Senacula.* Alius est pancratiastes, quem senem Quintilianus se adolescentem vidisse scribit *lib. II. Inst. orat.* c. 8. juncto Pausania *lib. V. c. 21.* Laudantur quoque Nicostrati medici, & musici; & Boethius *lib. I. de disciplina Scholar.* c. 4. plura de Nicostrato scribit, qui per servum Elimacem, in summam egestatem perductus fuerit. Nostri vero

Nicostrati, ejusque in dicendo elegantia, meminit Philostratus *de vitis Sophist. lib. II. c. 31.* Alciatus quoque jam diu *lib. II. Parerg.* c. 49. explofit codices illos, qui in *d. l. 27.* Nicostratum Prætozem haberent; quum omnino, ex Tuscis Pandectis, *Rhetorem* legendum sit. Add. Jonsius *lib. III. c. 14.* & Fabrettus *Inscript.* pag. 286. n. 208.

Eadem pag. *Bæbium Marcellum*, ex *l. 30. D. de Pact. dot.* memoratum, Cujacius *lib. VII. Obs. c. 2.* illum senatorem intelligi existimat, quem Dio scribit, sub Severo, ob levissimum clavitei indicium, capite damnatum *lib. 76.* idque ex eo intelligi, quia Tryphoninus, auctor illius legis, vixit sub Antonino. Sed miser ille Marcellinus vocatur; hic Marcellus: illius testamentum irritum fuit; hujus raturum: ille capite truncandus quatuor filios allocutus est; hic duobus liberis decessisse proponitur. Ita Contius *Disputat. c. 5.*, ubi simul elegantem, sed paullo obscuriorem Tryphonini disputationem explicavit.

Pag. 399. *Bradua Mauricus*, Proconsul Africa, ad quem Severi, & Antonini rescriptum extat in *l. 1. §. 4. D. de suspect. tut.*, & in *l. 4. D. de Offic. ejus, cui mand.* M. Valerius Bradua Mauricus Pontif. vocatur, in Lapide Gruteri pag. 356. n. 1. isque non confundendus cum M. Atilio Metello Bradua, qui, Commodi imperante, cum Cassio Aproniano secundum Consulatum gessit, A. U. 944. Rein. *cl. I. Inscr.* 141. Spon. pag. 114. Sub his vero Consulibus Sctum Apronianum minime factum est, uti Petrus Relandus; neque sub D. Marco, ut Cujacius suspicati sunt: sed sub Hadriano. V. Cl. Schulting. *ad Ulpian. tit. 22. §. 5.* Idem Hadrianus alii Braduæ rescriptit, in *l. 6. D. de Bon. damnat.* fortassis eadem, qui sub Trajano Consul fuit cum Trebonio Gallo, A. U. 861. Sed cum ille, non *Aquilius*, sed *Atilius*, in titulis monumentorum dicatur, apud Gruter. *Inscr. p. 65. n. 7.* & p. 1082. n. 15. hinc Augustinus non male conjecit, pag. 376. not. 1. in Pandectis Florentinis erratum esse.

Pag. 400. Paulus refert, Divum Antoninum *Erucio Claro* rescriptisse, in *l. 3. §. 2. D. de Off. pref. vig.* Hic autem Menagio *cap. 31. Amœn.* videtur esse præfectus urbi, de quo Gellius scribit, *lib. VI. c. 6. Adolescens ego Romæ tum cum etiam ad Grammaticos itarem, audivi Apollinarem Sulpicium, quem in primis sectabar, cum de jure augurio quæreretur, & mentio præpetum avium facta esset, Erucio Claro, Præfecto urbi dicere.* Contra Lipsius *lib. II. Elect. c. 3.* hunc alium ab isto pronuntiat, & patrem fortasse, qui Urbi; filium, qui vigiliis præfuerit: eique temporis ratio quam maxime suffragatur. Ostendit enim Dodwellus, in *diff. de ætate peripli maris Euxini* §. 10. A. Gellium floruisse sub Antonino Pio, & primis annis Marci Antonini philosophi mortuum; sed, imperante Hadriano, ad Grammaticos itasse. Tunc igitur Præfectu-

ra urbis functus est, non M. Erucius Clarus, qui Consul suffectus, A. U. 869. sed *Sextus*, qui cum Cn. Claudio Severo A. U. 898. Cos. laudatur sub Pio, in subscriptione *l. 1. C. de impub. & aliis substit.* & in marmoribus apud Gruterum pag. 314. n. 2. Fabretum c. 10. n. 146. Sponium *Misc. pag. 70.* & Fontaninum *de Antiq. Hortæ lib. II. c. 1.* Spartianus Severum, ait, natum esse *Erucio Claro bis*, & Severo *Coss.* in ejus vita c. 1. Alter autem C. Erucius Clarus A. U. 922. cum Cornelio Cethego Consul fuit, sub M. Aurelio Antonino, *l. 1. C. de Petit. hered. & Fabrett. Inscript. pag. 505.* eumque Commodus occidit, *Spartian. Sev. c. 13.* Alius rursus est C. Julius Erucius Clarus, sub Pertinace consul cum Falcone, A. U. 945. *l. 1. C. ad Scutum Maced. l. 2. C. de necess. serv. hered.* Ad Sextum referenda sunt Gellii verba *lib. XIII. c. 17.* *Erucius Clarus, qui Præfectus Urbi, & bis Consul fuit, vir morum, & litterarum veterum studiosissimus.* Nescio an hujus pater fuerit *Euricius Clarus, vir Sanctus antiquus, disertus, atque in agendis causis exercitatus,* apud Plinium *lib. II. Epist. 9.* nec scripturæ diversitas memoratur, quia Erucii nomen varie corruptum est, quemadmodum Fontaninus *d. l. Holthenus in add. ad Gruter. pag. 324.* & Cl. Heßelius, *ind. Gud. pag. 63.* ostenderunt.

Eadem pagina, *Fabius Cilo*, qui Septimii Severi amicus, & Præfectus Urbi laudatur, in *l. 1. D. de Off. Præf. Urbi. l. 4. D. de Off. Præf. vig. l. 8. §. 5. D. de Pæn. & l. 6. §. 1. D. de interd. & releg.* idem videtur esse, qui A. U. 945. Consul suffectus, & A. 957. Consul ordinarius fuit, cum Libone apud Gruter. pag. 386. n. 1. 406. n. 9. 407. n. 1. ubi L. FABIVS M. F. GALERIVS SEPTIMIVS CILO vocatur. Censorinus *de die nat. c. 17.* *Ludos Septimius & M. Aurelius Antoninus, Cilone, & Libone Coss. A. 957. fecerunt.* Spartianus *Carac. c. 4.* *In summum discrimen etiam Cilo iterum Præfectus, & Consul venit.* Adde subscriptionem *l. 1. C. si cert. pet. l. 2. C. de Excus. tut. & Briffon. lib. VI. de V. S. voce Fabii.* Est autem Cilonis cognomen ab habitu capitis sumtum, ut multa id genus alia, a corporis partibus tracta, in veteribus monumentis reperias, etiam Symbolis quibusdam in nummis familiarum expressa, ut *Capitonum, Frontonum, Nafonum, Labeonum*, qui & Chilonæ dicti. Bene Cujacius *lib. X. Obs. c. 26.* Menagius *Ancen. c. 31.* & Strauchius *de centum Lapid. suburb. n. 11.* observarunt, Fabium nostrum *Cilonem* appellatum, uti in Pandectis Florentinis, & in titulis scribitur, qua Græcis, qua Latinis: neque perinde est *Cilonem* dicas, an *Chilonem*, cum adspiratione; quemadmodum in *d. l. 1.* & apud Spartianum *d. l.* & Gudium legitur: nam *Cilo* dicitur ab acuto capite, & fronte eminentiore; Glossæ *προπέφλον* interpretantur: Chilo autem est improbius labra-

tus, a *Χείλῳ* labrum, auctore Festo, Capro & Carifio. Sic in gente Vettia, & Manlia Chilonæ fuerunt, ut P. Vettius Chilo, apud Tullium *III. Verr. c. 71.* & Q. Manlius Chilo, *III. Catil. c. 6.* Junius autem Cilo dicitur apud Tacitum *lib. XII. Annal. c. 21.* & Q. Magius Cilo, apud Ciceron. *lib. IV. ep. 12.* & *VI. Epist. 12.* sed Codices variant, & Patinus, post Fulvium Ursinum *de Famil. Rom.* observavit, L. Flaminium, nunc *Cilonem*, nunc *Chilonem* in denariis, Lapidibus, & scriptorum codicibus dici; immo Q. Fabium Labeonem, id est, Chilonem, habes apud Ciceron. in *Bruto c. 21.* & *l. de Off. c. 10.* Forfan hujusmodi cognomina initio probri causa data sunt, quæ deinde, auctis gentium familiis, differentia gratia manserunt, ut tamen promiscue scriberent, qui H. parcius utebantur. Sic *Graccus*, in nummis Sempronæ gentis; in aliis *triumpus, pulcer, tropæum* &c. vid. Quintilianum *lib. 1. c. 5.* Ferretum in *Musis Lapidar. pag. 23.* & Lipsium *ad Tacitum dicto loco.*

*Pag. 402. Junius Rufinus*, Præfectus vigilum, ætate Severi & Antonini, memoratus in *l. 4. D. de Off. Præf. vig.* forte filius fuit A. Junii Rufini, Macedoniæ Proconsulis, cui Hadrianus rescripsit, in *l. 3. §. 3. D. de Testib.* quique A. U. 906. cum Bruttio Præsentē consul fuisse legitur apud Gruter. pag. 300. Ab utroque diversus est M. Marius Titius Rufinus A. 950. cum Laterano consul, Gruter. *p. 46. n. 9. & 51. n. 1.* alius etiam plane fuit Licinius Rufinus Juris consultus Alexandri Severi temporibus clarus, & Pauli æqualis, *l. 4. D. Quib. ad libert.* quem Joh. Tilius, & Cujacius perperam fecerunt auctorem Collocationis LL. Mosaicarum, & Romanarum; uti Pancirolus, Freherus, Menagius, & Jac. Gothofredus dudum ostenderunt. Hos quatuor viros autem supina negligentia confudit Bertrandus *de Jurisp. lib. I. c. 35.* qui, si prænomina nihil sint, addere potuisset Cuspium Rufinum, sub Severo, ex *l. 2. §. 2. D. Qui pet. tut.*, & Statium Rufinum, sub Divis fratribus in exilium pulsus ex *l. 8. D. de Pollicit.* & alios centum aliis laudatos.

*Pag. 402. Latini Largi, Missenii Frontonis, & Nefennii Apollinaris* memoria servatur; quorum primus, & tertius iudices pedanei esse videntur, qui a Paulo Jcto maxime responsa petierunt. In alios Largos, & auctorem Scti Largiani inquisivit Pancirolus *lib. II. Var. Lect. c. 271.* Id vero, quod diximus, si cum Cujacio pro certo habeamus, firmabitur Briffonii conjectura *lib. III. de form. in l. 9. D. qui sine manum.* interpungentis: *Latinus Largus: vendidit ancillam: quæro*, quemadmodum in *l. 56. D. de Ædil. edict. & in l. 30. §. 1. D. de Exc. rei jud.* nec aliter Nefennius Apollinaris iudex datus, Paulum consulit in *l. 34. D. de Neg. gest. & l. 41. D. de Re jud.* Reinesius Nefenniam, vel Nafenniam gentem plebejam, sed libera Republica non igno-

tam, eoque veterem esse ostendit, ad *cl. I. Inscript.* 47. Tertius Misennius Fronto, *Misennius* in Basilicis audit, *lib. 48. tit. 38.* id, quod nonnihil juvat Bertrandi emendationem *lib. II. c. 39. Emiseno Frontoni* legentis in *l. 52. D. de manum. test.* ut orator ille, qui sub Severo clarus fuit, exprimatur. Menagius *cap. 31. Amæn.* si quid mutandum sit, legere mavult, *Messieno*, ut in titulo Gruteri *pag. 438.* At complures diversis temporibus Frontones fuerunt: Julio Frontoni Trajanus, in *l. 5. D. de Pæn.* & Licinio Frontoni Antoninus rescriserunt, in *l. 18. §. 3. D. de minor. Papii Frontonis, JCr.* Responsorum libros Callistratus laudat, in *l. 220. §. 1. de V. S.* an vero idem scripserit *Decretorum* libros, ex quibus Aristo quædam refert, in *l. fin. D. de Adq. Hered.* cum Bertrando, non temere dixerim: nam Florentiæ *Aristo in decretis Frontianis*; in aliis *Frontinianis*; in aliis *Frontonianis* legitur: & aptius credo, ut sint aliquis Frontonum, quorum non unus Consul occurrit apud Gruter. *pag. 369. n. 2. 968. n. 13. Reines. cl. I. n. 42. Phil. a Turre de monum. vet. Ant. p. 96., & Gudium pag. 39. n. 9.* Ipsi Tito Aufidio Consuli, in *l. 20. §. 6. D. de Hered. pet.* Frontonis cognomen fuisse supra vidimus. Fuit & Fronto, Orator, Consul suffectus, teste Aufonio in *grat. act. pag. 714.* idem, qui præceptor fuerat M. Aurelii Antonini, ut hic ipse tradit *lib. I. de Reb. suis. §. II., & inscriptio docet apud Fleetwoodum pag. 151. M. CORNELII FRONTONIS. ORATORIS. COS. MAGISTRI. IMP. LVCI. ET. ANTONINI.* Hujus summi oratoris, & Ciceronis æmuli, cujus Gellius, Capitolinus, Sidonius & Eumenius meminerunt, nepotem fuisse Papium Frontonem *JCr.* existimat Bertrandus, nec ætas repugnat. Pessime autem Scipio Gentilis *lib. II. Parerg. c. 7. JCr.* cum rhetore confundit, id, quod vel prænomen refellit. Alium Guil. Grotii *lib. II. de vir. JCr. c. 11.* errorem Clar. Cannegieter notavit, in *dissert. de Aviano, c. 12.* Alios Frontones Catanæus in Epistolas Plinii, & Egnatius ad Capitolini Antoninum Philosophum collegerunt; multi eorum quoque sunt apud Gruterum.

*Pag. 403. Pactumejus* Androsthenes, primo *Pactumejam* Magnam, filiam *Pactumeii* Magni occisi, & postea, mutato testamento, *Novium Rufum* ex affe heredem instituisse dicitur, secundum lectionem Florentinam, in *l. 92. D. de Her. inst.* Vulgati autem Codices habent *Tactumejus*; vel *Pacumevius*; Alciatus *lib. IV. Dispunct. c. 1.* maluit legere *Pactulejus*, quia ita vocat Lampridius, ubi ejusdem cædem narrat, in *vita Commodi cap. 7. Interemit Pactulejum Magnum cum suis.* Sed nihil spurcius, aut mendosius scribi potuisse, Casaubonus ibi, & Salmasius, post Augustinum nostrum, annotarunt; nam & *Pactumejus* Clemens, *JCr.* in *l. 21. §. 1. D. de Statulib. & in Basil. lib. 48. tit. 5. c. 2. tom. VI. pag. 425. ὁ Παιτομήϊος*

*Κλήμης* memoratur, aliosque *Pactumejos*, & *Pactumejas*, ex Codice Justiniano, Inscriptionibus Gruteri, & exteris auctoribus Ill. Bynkershoek *lib. III. Obs. c. 7.* laudavit. Apud Horatium *Epod. 17. vers. 50.* Lambinus cum Aldo & Turnebo *lib. XXX. Advers. cap. 2.* legit: *Tuusque venter partumejus*, & uterum sine magno nixu parientem, sive partui aptum, interpretatur. Rectius vero Torrentius, Stephanus, Lubinus, & Baxterus joculari *Pactumeii* nomen, fide vetustiorum librorum approbatum, retinere: nam ut a *postumus* Postumejus, & a *pompo* Pompejus, ita a *pactum* gentis *Pactumejæ* nomen figuratum est; quod Cujacius *lib. XII. Obs. c. 18.* proprium suppositi partus explicavit. Vignolius *Inscr. pag. 245. PACTVMEIA. D. L. VRBANA. SIBI. ET. D. PACTVMEIO. P. L. STRABONI. PATRONO. SVO.* Alterum heredem institutum, *Novium Rufum*, non modo Spartianus, inter alios summos viros a Severo occisos, refert, *ejus vita c. 13.* sed etiam marmor, in hortis Augustini nostri olim celebrabat Tarracone, nunc apud Gruter. *pag. 209. n. I. L. NOVIVS. RVFVS. LEG. AVG. PR. V. C.* Atque hæc quidem speciminis loco sufficere poterunt; quibus si alia, ex aliis viris celeberrimis, supra laudatis, jungantur, auguror, fore, ut decora ingenia ad nomina Pandectarum propria illustranda animum magis adiciant, & Symbolis in commune collatis, tandem efficiant, ut pleraque indicis hujus, ad seriem unius alphabeti illustrentur. Sed ut studiosæ profimus juventuti, Cujacium hic non omitto, qui *lib. I. Obs. c. 28.* Claudium Hieronianum, in *l. 12. §. 40. D. de Instr. & instr. leg. lib. X. Obs. c. 37.* Instium Celerem in *l. 12. §. 1. D. de Tur. & curat. dat. & lib. XXII. Obs. c. 7.* Chrysanthianum certamen, in *l. penult. D. de Annis leg.* exornavit: jungendus vero est Suidas, in *Χρυσάνθιος*, qui Sardonum Philosophum Chrysanthium, non Severi, & Antonini, sed Juliani ætate vixisse scribit.

*Pag. 409. Capite Sexto* nomina ficta, tam civium Romanorum, quam peregrinorum; liberorum, atque servorum; Masculorum, quam feminarum sequuntur, quibus veteres, ad exempla sustentanda, pro *ille*, vel *ὁ δεινός*, usi sunt. Quemadmodum enim Philosophorum personæ hypotheticæ erant *Dion*, vel *Theon*, Rabinorum *Simeon*, *Ruben*, & *Levi*: Arabum *Zeidon*, & *Amron*; ita Jurisconsultorum *κοινὰ ὀνόματα* frequentiora erant *Lucius*, *Titus*, *Cajus*, *Sejus* &c. Plutarchus *Quæst. Rom. c. 30.* Nominibus *Caii* & *Cajæ* pro communibus utuntur; sicut *Jurisconsulti Caii*, *Seii*, *Lucii*, *Titii* nomen ei, de quo agitur, imponunt. Neque Prudentes tantum, sed etiam Prætores, in edictis suis, hisce nominibus personas qualvis designarunt, *l. 10. D. Quæ in fraud. cred. l. 1. D. de Tab. exhib. l. 1. & l. 3. D. de lib. exhib.* Apud Marcellum quoque medicum, in formula, ægrotans femina *Cajæ Sejæ* appellatione denotatur, sicut in *l. 26. D. Depos. Accii* item, & *Titii* nomina Jurisconsultis solentur.

lennia fuisse, quando se causæ non personæ, jus respondere velle testarentur, ex fragmento satyræ Varronis patet, quam *Testamentum* inscripsit: *Accio idem, quod Titio jus esto apud me*: per quod vetus proverbium, interprete Gellio *lib. III. c. 16.* significare voluit, *pari, eodemque jure eos esse debere.* Ridiculæ quidem, & otiosæ diligentia hanc nominum observationem esse putavit Albericus Gentilis *dialogo V.* atque ideo vehementer succensuit Alciato, quod de tanto mysterio toto capite differere voluerit, *lib. I. Parergon. c. 26.* At risu inepto res ineptior nulla est, tantumque abest, ut sterilis ea sit explicatio habenda, ut Cicero *pro L. Murena cap. 12.* irriserit Jurisconsultos, qui, cum exempli causa Cajæ nomen in libris invenerant, *putarunt, omnes mulieres, quæ coemptionem facerent, Cajas vocari*; quum verior esset interpretatio, ingenuas quasque matres familias, in formulis juris, & Sacrorum nuptialium, non quidem per modum proprii prænominis, sed appellative Cajas dici: *Ubi tu Cajus*, id est, dominus, *ibi ego Caja*, id est, domina. Fabius *lib. I. Instit. orat. c. 7.* *Quia tam Cajas vocitatas esse, quam Cajos, ex nuptialibus apparet.* Proprio quidem prænomine feminas Romanas aliquando usas esse, Sigonius *de Nomin. Rom. Reinesius ad cl. VI. Inscript. II.* & maxime Petrus Servius *Miscellan. c. 5. seq.* adversus Castalionem late demonstrarunt; nihilominus crebro in titulis, nullo expresso nomine, *D. L.* legitur, id est, Cajæ liberta, apud Fabretum *Inscript. cap. I. 32.* VALERIA OLIA *D. L.* ACME *D. L.* PRIMA, ET. STATIA. *D. L.* CVPITA. Id quod egregie explicat Velius Longus de Orthographia, apud Putschium *pag. 2218.* *D. converso Caja significatur, quod notæ genus videmus in monumentis, cum quis liberus mulieris ostenditur: Cajas enim generaliter prisca [non aspicias, nec auspices, ut legit Pithoeus ad Collat. LL. Mos. tit. 4. n. 5.] has omnes mulieres accipere voluerunt.* Neque soli semidocti isti veteres, sed Accursius etiam, hujus rei ignorantia hæsitavit ad *l. ult. D. de Instit. act.*, ubi qui ante *Lucius Titius*, postea *Octavius Felix*, & qui ante *Cajus Sejus*, postea *Domitius Felix* vocatur: aliter enim in hypothese, quam casum vocamus: aliter in ipsa cautione vocantur; minime vero quadri-nomii fuerunt. Quinimo doctissimis viris quam molestæ fuerint horum nominum fictorum confusiones, Ill. Bynkershoek præclaris exemplis docuit, *lib. I. Obs. c. 22.* Idem quoque ad *l. Lecta c. 3.* jucunde ridet Papirium Maffonum, qui Lucii Titii, apud Jureconsultos celeberrimi viri patriam, parentes, munera, divitias, uxores, liberos, testamenta, mortem, & hæreditates, animi causa, brevi libello descripsit. Nec omnibus forte placebit, quod Augustinus novem, & quod excurrit, folia a *pag. 426.* ad 444. memoriæ Lucii Titii impenderit; sed ratio instituti fati eum excusat.

*Pag. 450.* Servorum, & Libertorum *ficta*

quoque nomina tangit: *Damas, Eros, Pamphilus, & Stichus*; igitur & de his, & de veris, quæ antea attulerat, promiscue quædam adspargamus. Illa vulgaris observatio est, quod, quemadmodum servi, a prenomine domini, *Lucipores, Marcipores, & Quinctipores*, quasi Lucii, Marci, & Quinti pueri, dicebantur, ita manumissorum plerique patroni sui nomina usurparint; nunc eadem, nunc flexa, nunc similia fere, & adsonantia, prout manumittenti lubuisset. Consuetudinis hujus exempla, præter Sigonium & Politianum, Alciatus attulit, ad illustrandam *l. 38. §. 1. D. de Leg. 3.* alia Reinesius *ad cl. XVII. n. 73.* & Fabretus *cap. VI. Inscr. pag. 434.* Hoc non ita vulgatum addo, vix tolerari posse, quod Cujacius scripsit, in *§. 1. Inst. De eo, cui Libert.* Popilium Rufum servum videri; quia servi etiam binomines fuerint: quæ enim eam in rem adferuntur, ex *l. 23. D. de manum. & l. 32. §. 2. D. de Test. tut.* minime id probant; quia in prioribus Cajus Sejus se pro libero homine gesserat, ut Barbarius Philippus, in *l. 3. D. de Offic. Præt.* in altera vero Lucio Eroti in testamento tutori dato, prænomen patroni imponitur; sicut in manumissionibus vindicta:

*Verterit hunc dominus, momento turbinis exit*

*Marcus Dama.....*

apud Persium *Sat. V. vers. 78.* ubi Casaubonus plura huc pertinentia observavit. Alias vero prænomen, nomen, & cognomen, hominis liberi propria vocavit. Quintilianus *lib. VII. Inst. cap. 4.* solosque liberos cognomine uti, Diocletianus rescripsit, in *l. 9. C. de lib. caus.* ad quam vide Alciat. *lib. V. Parat. cap. 5.* & Augustin. *lib. III. Em. cap. 8.* Jurisconsultis præterea & Imperatoribus, ubi de servis agunt, ficta Titii, & Caii nomina quandoque exciderunt, in *l. 40. D. de Hered. Inst. & l. 9. C. de Oper. libert.* quæ pene suspecta videbatur Alciato *lib. VI. Parerg. c. 9.* tum hanc ob causam, tum quod veteres Græcis potius nominibus, *Eros, Pamphilus* utantur; quale vero & Caii nomen, a Γαίῳ tandem agnoscit. Italis, si Eustachio credimus, *lib. II. Iliad. Etymol. δ μισθῖ* eo significantur, ut Cujacius notat, ad *§. 6. Proæm. Instit.* Cæsarum porro, & Augustarum servi plus sibi arrogabant, ingenuorum instar agentes, ad quorum jura accedebant, *Ulpian. tit. 20. §. fin.* Tales molli prænomine gaudentes erant, C. LIVIVS. ET. IVLIVS. EROS. AVGVSTAF. SERVI. PEDESSEQVI. apud Spon. *Miscell. pag. 229.* In cæteris vero brevitatis, unius, vel duarum Syllabarum, plerisque dominorum placebat; ut *Mus, Syrus, Damas, Saccus, Pollex, Scorpus, Clemens, Manes*: ancillæ *Doris, Elpis, Seja*, vel *Tyche* dicebantur. Quinimo polysyllaba dominorum nomina sæpe contraherantur, ut ex Posidonio ὑποκοριστικῶς *Posis*, ex Demetrio *Demas*, ex Menodoro *Menas*, ex Metrodoro *Metras*, & ex Lucilio *Lucas* fie-

fieret. vid. Alciat. *lib. I. Parerg.* 26. Grot. *ad Lucae pr. & Voff. lib. IV. Inst. ort. c. 1. n. 5.* Longius ancillæ nomen est *Arescusa*, id est placentis, a verbo ἀρεσκω, in *l. 15. l. 16. D. de Stat. hom. l. 43. & 45. §. 2. D. de Act. empt. aliæ Arethusa dicuntur, in l. 75. §. 4. D. de V. O. l. 1. D. de Oper. Serv. l. 25. §. ult. D. Quand. dies legat.* quibus in locis Bologninus, & Nebriffensis, ut ante, *Arescusa* legendum existimant, propterea quod Arethusa, non ancillæ, sed Nymphæ sit, fontisque nomen, apud Virgilium, Diodorum & Silium: hoc vero non corrigere est, sed corrumpere; non castigare, sed castrare, ait Augustinus *lib. III. Emend. c. 3. & Dial. VI. Antiq.* Quid enim vetat idem servæ nomen, quod Nymphæ indi? cum & mancipia Deorum nomina per ludibrium tulerint, ut *Hermes, Zenon, Castor, Pollux, Eros*; nec Servum *Heroem*, vel *Herotem* dici ineptum sit, ut credidit Augustin. *pag. 397. V. Fabrett. Inscr. c. 1. p. 9. & 20. & Interpretes Horat. de arte Poet. vers. 114.* De *Trophimo* servo, id est, alumno, rescripsit Marcus, in *l. 37. D. de Fideic. lib.*, & talium meminere marmora *Fabretti c. IV. pag. 314.* Sicut *Trophimæ* Libertæ Scævola, in *l. 34. D. de Usu, & usufr. & lapis apud Philipp. a Turre de colon. Forojul. pag. 360. Trophimas* quoque, pro *Trophimus*, est nomen viri proprium, in *l. 26. §. ult. D. Depos.*, ubi male Alciatus *lib. I. Dispunct. c. 18. Trophima* legit, & nutricium, sive nutricum mercedem interpretatur. Vide *Cujac. lib. XXVII. Obs. 18. & Salmas. ad Trebellii Gallienos c. 2. Alii Felices, Felicissimi, vel Eutychiæ* dicuntur etiam ante libertatem acceptam, in *l. 32. D. de Usu & usufr. l. 41. §. 3. D. de Legat. 3. l. 44. D. de Man. test. nam & liberi homines, eorum domini, Epaphodiri, Fausti, Eutychi, Eutychiæ, vel Felicitatis cognomina a fortuna adscivere, ut constat ex *Ind. Grut. c. 23. & Reinell. cl. VI. n. 85. Parthenium, Tiberii servum, de quo est l. 41. D. de Hered. Inst. in marmore Gruteri pag. 616. n. 5. laudari, putat Merilius lib. IV. Obs. c. 34. Sed valde hoc incertum est; quia non unus Cæsarum Parthenios servos habuit. V. Sueton. Tib. c. 70. Domit. cap. 17. Martial. l. IV. ep. 79. Tertullian. Apolog. c. 35. Gruter. pag. 582. n. 9. Freher. lib. II. Verif. c. 16. Gundlingiana pag. XXX. Obs. 3. & Fabric. Bibl. Græc. l. III. c. 27. n. 9. p. 677.**

Nullus finis foret, si ad caput VII. nomina Provinciarum, Insularum, Regionum & Urbium, quarum in Pandectis fit mentio, vel summo digito attingere vellemus; neque vastum illud Geographiæ stadium illotis pedibus ingredi licet; in quo præter viros eruditissimos, qui Strabonem, Melam, Plinium, Ptolemæum, & Stephanum notis illustrarunt, tot alia decora ingenia, ut Palmerius, Valesius, Bochartus, Camdenus, Resendius, Hostenius, Cluverius, Vaillantius, Harduinus, Relandus, & maxime Cellarius, in *notitia orbis antiqui*, certarunt. Quosdam vero alios, qui Pandectis

illustrandis proprie serviunt, nec cuivis sunt obvii, in gratiam tironum adiicere lubet. Divisionem provinciarum, ab Augusto institutam, quam Augustinus exhibet *pag. 461.*, præclare Henr. Norisius, ad *Cenotaph. Pis. diff. II. c. 11.* explicavit. Daciæ utriusque colonias, in corrupta *l. 1. D. de Censib.* memoratas, Cujacius *lib. X. Obs. 35.* Leunclavius ad *Xiphilinum*, & Raphael Fabrettus, in *Syn-tagm. de Column. Traj. cap. 8. pag. 243.* suis nominibus restituerunt. Quare & ex quo tempore Italia, imperii caput provinciis Romanis sit adnumerata, Cujacius *lib. XXVII. Obs. cap. 2. & Lechassierius de vocab. ad Geograph. juris Rom. pertinent.* inquisivere. Antiochiæ, Apameæ, Capitoliados, Emessæ, Laodiceæ, Palmyræ, Ptolemaidos, Sebastes, Tyri, multarumque aliarum coloniarum, quarum *l. 1. & ult. D. de Censibus* meminit, vera nomina, epochas, & conditionem, diligentia & eruditioni Norisii de *anno & epoch. Syro-Maced. & Spanhemii de Præst. & usu num. Diff. IX. & XIII.* debemus; quibuscum Petrus de Marca *Marcae Hisp. lib. II. c. 13.* Cujacius *dict. Obs. 35.* Jac. Gothofredus *tom. V. C. Th. pag. 221.* Pancirolus *lib. II. Thes. var. lect. c. 152.* & Turnebus *lib. IX. Adv. c. 15.* jungantur. Ilienium privilegia antiqua Cujacius *lib. X. Obs. 5.* idem Cretæ administrationem, *lib. XIX. c. 13. & Selinum, ab Ulpiano in Cilicia recte positum, lib. XXVII. Obs. c. 3.* docuit: Citium vero Cypri, & Macedoniae male confudit *lib. III. Obs. c. 18.* vid. *Menag. Amoenit. c. 13. ad Laert. lib. VII. n. 1.* Quasi relegationem in Ægypti insulam Oasin, arenis, non aquis, cinctam, in *l. 7. §. 5. D. de Interd. & releg. idem lib. VIII. Obs. 27. & lib. XX. Obs. 31.* Alciatus *lib. XII. Parergon. c. 4.* Duaren. *lib. II. Disp. anniv. c. 39.* Pancirolus *lib. II. cap. 40., & Cellarius lib. IV. cap. 1.* plenius quam noster *pag. 467.* descripserunt. Quare Proconsuli Asiæ imposita fuerit necessitas per mare ad provinciam applicare, & inter matrices urbes Ephesum primo attingere, ad *l. 4. §. 5. D. de Offic. Procons.* Spanhemius ex nummis explicavit, *de Præst. tom. I. pag. 608.* in *l. 4. D. de Rev. divis.* Lucas Holstenius, pro piscatoribus *Capenatis*, quos etiam in Basilica *lib. 46. tit. 3. cap. 2.* agnoscunt, licet Augustinus *pag. 473.* malit *Capenatibus*, conjecit legendum esse *Capreatis*, Camillo Peregrino probante, *de Campan. fel. diff. II. c. 29.* Eadem dissert. *flumen Minturnense* in *l. 13. §. 1. D. Locati*, Lirim, Campaniæ fluvium explicavit *c. 7.* Vario item Campaniæ vino, de quo *pag. 486., & maxime Falerno, quod optimum Campanum dicitur, in l. 74. D. de V. O. Theophilo, ad §. 33. de Action.* frustra repugnante, principatum asseruit, Varronis, Strabonis, Plinii, & Galeni auctoritate, *dissert. III. 4. 5. tom. IX. Thes. Ital. part. 2.* Atque hæc quidem ad Augustinum sufficiant.

## I N D E X

## RERUM, ET VERBORUM

Prior numerus Paginam, posterior Columnam indicat.

- A** Bdixisse vindicias. 292. 2.  
 Abducere. 461. 2.  
 Abesse reipub. causa. 461. 1.  
 Abolitiones. 329. 1.  
 Abrogare legem, derogare, obrogare legi ut diff.  
 & quid sit. 22. 2.  
 Abrogationem legum quæ rationes dissuadeant.  
 22. 2.  
 - legum & derogationem, quæ rationes sua-  
 deant. 24. 1.  
 Absentes ab honorum petitione submovebat lex  
 Pompeja, excepto Cæsare. 77. 1.  
 Absolvere. 422. 2.  
 Abstinerere se hereditate. 448. 1. & 2.  
 - provinciis. 464. 1.  
 Abundare. 411. 1: 432. 1: 473. 2.  
 Aburnius Valens. 189. 1: 201. 2: 210. 2: 313. 2.  
 Accensus quis, & unde sic appellatus. 120. 2.  
 Acceptilatio. 206. 1. 207. 2. 371. 2. 417. 1: 427.  
 1: 456. 2.  
 Acceptum facere. 409. 2: 410. 2: 416. 2: 441. 2:  
 443. 1: 459. 2.  
 - iudicium. 307. 1.  
 Accepto rogare. 417. 2.  
 - tulisse. 444. 2.  
 Accessio. 187. 2.  
 Accipere contra tabulas. 439. 2.  
 - duos reos. 428. 2.  
 - iudicem. 429. 1.  
 - iudicium. 426. 2: 467. 2: 468. 1.  
 Accommodare. 420. 1: 429. 1.  
 Accusare. 217. 1: 437. 1: 476. 2.  
 Accusatoris præmium. 355. 1.  
 Acerra quid. 119. 2.  
 de Acervo frumenti iuxta domum posito com-  
 busto lex XII. tabb. 112. 1: 145. 2.  
 Acervus. 300. 2: 303. 1.  
 Achaja. 461. 1.  
 Achaja Proconsul. 330. 2: 382. 1: 398. 2: 461. 1.  
 Αχαιῶν. 473. 1.  
 Antoninus Achilleus. 398. 1: 400. 2.  
 Acilius Aviola. 326. 1.  
 - Glabrio. 326. 1: 345. 1: 379. 2.  
 Actio. 231. 1.  
 - ad exhibendum. 212. 1.  
 - Aquilia. 321. 1.  
 - legis Aquilia. 195. 2: 212. 1: 315. 1: 411.  
 2: 427. 2.  
 - Calvisiana. 371. 2: 372. 1.  
 - civilis. 185. 1: 369. 1.  
 - commodati. 184. 1: 354. 1.  
 - damni injuriæ. 306. 1.  
 - de do. 211. 1: 212. 1: 213. 2: 301. 2: 320.  
 2: 384. 1.  
 Tom. I.  
 - de dote. 213. 1.  
 - Fabiana. 371. 2: 372. 1.  
 - in factum. 211. 1: 212. 1: 317. 1: 353. 1.  
 - familiæ eriscundæ. 299. 2.  
 - furti. 318. 2: 321. 2: 322. 1: 354. 1. & 2:  
 443. 1: 444. 1.  
 - hypothecaria. 372. 2: 373. 1.  
 - injuriarum. 208. 2: 218. 1: 300. 2: 352. 1:  
 354. 1: 356. 1.  
 - de legatis. 456. 1.  
 - legatorum. 193. 1: 412. 2: 433. 2: 439. 2.  
 - mandati. 213. 1: 240. 2: 420. 2: 429. 2:  
 442. 1: 448. 2.  
 - negotiorum gestorum. 423. 1.  
 - noxalis. 217. 2: 353. 2.  
 - Pauliana. 371. 2: 372. 1.  
 - de peculio. 247. 2.  
 - pigneratica. 210. 1: 373. 1.  
 - pœnalis. 228. 2.  
 - prætoriana injuriarum. 356. 1.  
 - Publiciana. 301. 1: 372. 1.  
 - quid in jure. 114. 2.  
 - in rem. 372. 1: 373. 1: 412. 1.  
 - in rem utilis. 313. 2.  
 - Serviana. 299. 1: 372. 2: 373. 1.  
 - solidi. 358. 1: 435. 1.  
 - ex stipulatu. 359. 1.  
 - tributoria. 307. 2.  
 - tutela. 419. 1: 421. 1: 445. 2.  
 - ex vendito. 304. 1: 345. 2.  
 - utilis. 211. 1: 213. 1: 214. 1: 311. 1: 320.  
 1: 346. 1: 352. 1. & 2: 425. 2: 446. 2.  
 Actiones. 292. 1. & 2: 293. 1. & 2.  
 - a Sex. Ælio composite. 113. 2.  
 - erant penes collegium pontificum. 113. 2.  
 - ex legibus XII. tabb. composite. 113. 2.  
 - hereditaria utiles. 380. 1.  
 - legis, seu legitimæ quæ. 113. 2.  
 - ne populus, prout vellet, instrueret, solennes  
 esse voluerunt. 113. 2.  
 Actionum nomina. 173: 351. 1: 371. 2.  
 de Actionibus concurrentibus. 286. 1.  
 Actor. 386. 1: 389. 1: 401. 1: 403. 1: 406.  
 2: 411. 1: 436. 2: 443. 2: 451. 1: 454.  
 2: 456. 2: 457. 2: 458. 1: 468. 1.  
 Actum administrare. 450. 2: 456. 1: 466. 1.  
 jus Adulescendi. 198. 1.  
 Adulescere. 412. 2: 432. 2: 439. 2.  
 Addicere. 401. 1: 404. 2.  
 Additicius. 294. 1.  
 Adducere. 444. 1.  
 Ademptio tacita. 437. 1.  
 Adfinis. 399. 1: 436. 2.  
 de gradibus & Adfinibus. 268. 1: 280. 1.  
 Vuu Ad.



- Adgnationis jus.* 211. 1.  
*Adgnatus proximus.* 355. 1.  
*Adgnosceret.* 418. 1: 427. 1: 428. 2: 435. 2: 449. 1.  
*Adhibere metum.* 426. 2.  
*Adhibitis septem civibus puberibus.* 476. 1.  
*Adjectio.* 458. 2.  
*Adigere libertum ad jurandum.* 351. 1.  
*Adimere.* 437. 2: 456. 2.  
*Adire.* 409. 1: 466. 1.  
 -- *hereditatem.* 369. 1: 467. 2: 468. 2: 481. 1. & 2.  
*Adirus.* 395. 2.  
 -- *per libellum.* 382. 2.  
*Administrare.* 381. 1.  
*Administratio.* 412. 1: 423. 2: 485. 1.  
*Adoprare.* 439. 2.  
*Adopratus loco nepotis.* 431. 2.  
*Adoptio per testamentum lege data confirmabatur.* 47. 1.  
*Adoptiones eorum, qui in potestate parentum erant, mancipationibus opus erat.* 99. 2.  
*Adoptionis per testamentum factæ exempla.* 47. 1.  
 -- *præter duo illa adoptionum genera, apud populum vel principem, si sui juris quis est; vel apud magistratum, si aliena in potestate est, datur tertium genus per testamentum.* 46. 2.  
*Ador & adorea quid.* 116. 2.  
*Acquirere.* 183. 1.  
 -- *per servum.* 217. 1.  
 -- *possessionem.* 191. 2: 200. 1.  
 -- *servitutem.* 211. 2.  
*de officio Adessorum.* 280. 1.  
*Adseverare.* 425. 2.  
*Adfiduus Severus.* 330. 1.  
*de Adsignandis libertis.* 328. 1.  
*Advena.* 475. 1.  
*Adventicia dos.* 204. 1.  
*Adulescens.* 431. 2.  
*Adulter quando non puniebatur.* 48. 1.  
*nec Adulter, nec mulier, nec alii post quinquennium lege Julia accusari possunt.* 49. 1.  
*Adulteria coercita lege Julia Augusti.* 46. 2.  
*Adulterii accusata servos intra LX. dies post divortium manumittere non poterat, & ratio.* 48. 2.  
 -- *accusatus servus, & quæstioni subjectus, sed absolutus in duplem æstimabatur.* 48. 2.  
 -- *damnata an uxorem ducere liceret.* 48. 1.  
 -- *in crimine marito LX. dies ad accusandum competebant, sex menses extraneo, a die divortii numerandi.* 49. 1.  
 -- *pœna nulla deprecatio erat, si se minor annis adulterum fatebatur.* 49. 1.  
 -- *pœna puniebatur etiam qui domum suam præbuerat ad peragendum stuprum, adulteriumve.* 48. 1.  
*de Adulteriis.* 246. 2: 251. 2: 263. 2: 267. 2: 268. 1: 279. 2.  
*Julia de Adulteriis.* 362. 1. & 2: 363. 1. & 2: 364. 1. & 2: 444. 1: 445. 2.  
*ex Adulterio uxoris qui quæstum fecerit, pledebatur pœna lenocinii.* 48. 1.  
*in Adulterio deprehensam uxorem qui retinuit, adulterumque dimisit, pledebatur lenocinii pœna.* 48. 1.  
*Adulterium.* 422. 2.  
 -- *& stuprum quid proprie sit, & ut diff.* 47. 1.  
 -- *& stuprum promiscue in lege Julia appellatur.* 47. 1.  
*Adulterum deprehensum retinere horas continuas non plus quam XX. testandæ ejus rei causa licebat.* 47. 1.  
 -- *& filiam simul uno prope ictu occidere debebat pater, non uno occiso alteri parcere; aut postea occidere.* 47. 2.  
 -- *occidendi cum filia jus patri competebat, & quo in casu.* 47. 2.  
 -- *qualem & ubi occidere licet.* 47. 1.  
 -- *quemcumque occidere non licebat.* 47. 1.  
 -- *qui jure occideretur, aut domi suæ deprehendere debebat pater, aut generi sui.* 47. 2.  
 -- *qui occidisset jure, uxorem sine mora dimittere debebat.* 47. 2.  
 -- *turpem tantum, non uxorem, occidere permissum erat marito, patri filiam & quemcumque adulterum, & quare.* 47. 2.  
*Adulti curatores acceperunt.* 448. 2.  
*Advocatus.* 384. 2: 385. 2: 386. 1.  
 -- *fisci.* 384. 2: 385. 2: 386. 1.  
*Æburianum.* 477. 2.  
*de Æde combusta lex XII. tabb.* 112. 2.  
*Ædes sacra.* 483. 1. & 2.  
 -- *servire ædibus.* 411. 2: 427. 2.  
*Ædificia.* 469. 1.  
 -- *continentia.* 469. 1.  
 -- *demoliri & marmora detrahere negotiandi causa vetitum.* 135. 2.  
*Ædificiis continentibus.* 469. 1.  
*Ædificium.* 362. 2.  
*Ædiles.* 327. 1: 472. 2: 482. 1.  
 -- *Cereales.* 375. 2.  
